ILLUSTRIS MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCLXXXVI. ANNOS

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XIV. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

M. AVGVSTVS WEICHERT.

COMMENTATIO II.

DE

IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI

SCRIPTIS EORUMQUE RELIQUIIS.

GRIMAE

EX OFFICINA REIMERIA.

1836.

CAPUT II.

DE

CAESARIS AUGUSTI

APOPHTHEGMATIS, JOCIS ET STRATEGEMATIS.

Ingredientibus nobis recensere operum ab Caesare Augusto scriptorum Reliquias non alienum videtur praemittere ejus *Apophthegmata* et *Jocos*, qui passim a scriptoribus antiquis commemorantur. Nam ad scripta alicujus rectius intelligenda quantum referat nosse ejus animum ac mores, non est quod pluribus doceatur. Jam vero princeps ille philosophiae, Socrates, auctore Cicerone Tusc. Disput. Lib. V. c. 16. §. 47., sic disserebat: „qualis cujusque animi affectus esset, talem esse hominem: qualis autem homo ipse esset, talem ejus esse orationem: orationi autem facta similia, factis vitam." Atqui in acute et jocose dictis praecipue inest magna non tantum ingenii, sed animi etiam affectionumque significatio, neque, ut verissime scribit Plutarchus in Vit. Alexandr. M. c. 1., *ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς ἢ κακίας, ἀλλὰ πρᾶγμα βραχὺ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησε μᾶλλον ἢ μάχαι μυριόνεκροι καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται καὶ πολιορκίαι πόλεων.* Accedit, quod, ut idem Plutarchus in Praefat. ad Apophthegm. Vol. VI. p. 658. R. acute monet, *τῶν μὲν πράξεων αἱ πολλαὶ τύχην ἀναμεμιγμένην ἔχουσιν, αἱ δὲ γινόμεναι παρὰ τὰ ἔργα καὶ τὰ πάθη καὶ τὰς τύχας ἀποφάσεις καὶ ἀναφωνήσεις, ὥσπερ ἐν κατόπτροις, καθαρῶς παρέχουσι τὴν ἑκάστου διάνοιαν ἀποθεωρεῖν.* Cum autem non oratione solum, sed etiam actionibus loquamur, non dubitavi, Apophthegmatis et Jocis Augusti adjungere *Strategemata* aliaque ejusdem lepida ac jocularia facta, in quibus ipsis non raro acuminis, sollertiae, cogitationis et tacitae quasi dictionis significationem reperias. Qua de causa, ut Wyttenbachius in Animadvers. ad Plutarchi Apophthegm. Vol. II. p. 316. ed. Lips. admonuit, etiam veteres, qui de Strategematis scripsere, subinde Apophthegmata commemorant, quippe quae vim Strategematum habeant. Denique, quo melius Augusti animus moresque perspicerentur, in ordinem recepi et collectos huc transtuli eos etiam scriptorum locos, in quibus narratur, quo ille modo et quo animo

aliorum in se dicta acceperit. Non enim dubito quin futuri sint, qui in illo Principe magis mirentur, quos pertulerit jocos, quam quos ipse protulerit, si quidem major est patientiae quam facundiae laus, ut ait Macrobius Saturn. Lib. II. c. 4.

De Caesaris Augusti animo moribusque et dicere et non dicere aeque difficile est atque anceps, nostra praesertim aetate, quamvis multi hodie crepent illam Tib. Gracchi apud Livium Lib. XXXIX. c. 5. vocem: „Suo quemque judicio et homines odisse aut diligere, et res probare aut improbare debere.“ Cum autem hunc locum, lubricum sane et oppido spinosum, non liceat hic prorsus intactum praeterire; mihi ad id, quod ago, satius videtur ac tutius, alios auctores rerumque scriptores, qui quidem mihi innotuerunt, producere hic veluti loquentes et testimonium in utramque partem dicentes, quam, quid ego sentiam, in medium proferre et uberius subtiliusque explicare. Qua ratione simul breviori mihi esse licebit in re, quae altioris quaestionis magnum volumen desiderat, cui me imparem esse probe intelligo.

Non me latet quam effusis splendidisque laudibus extulerint Caesarem Augustum scriptores cum aequales, tum maxime seriores, qui sive sublata pridem ex oculis assimulatae virtutis specie decepti sive potius suorum calamitate temporum pressi vexatique non possent quin feliciora Augusti tempora quasi pleniore laudarent ore et praedicarent[1]). Atque erat quo ego quoque vel juvenili quodam amoris ardore incensus vel communi hominum vitio, veterrima quaeque laude et veneratione prosequendi seductus, totus essem in admirando celebrandoque Augusto, ita ut nonnumquam praesentia, uti fieri assolet, in fastidio ac contemptu haberem. Nihil putabam verius ab Horatio scriptum esse quam illud praeconium ac grave testimonium Lib. IV. od. 2. v. 37. sqq. de Augusto:

Quo nihil majus meliusve terris
Fata donavere bonique Divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum[2]).

---

1) Alii ad turpem adulationem abjecti pluribus modis veritatem infregerunt, ut *C. Vellejus Paterculus*, de quo severe quidem, sed vere judicat *H. Ludenius in Gesch. d. teutsch. Volkes. Tom. I. p.* 223.: „*Vellejus Paterculus zeiget nirgends Sinn für Wahrheit und Treue; er jaget der Gelegenheit nach, anzubeten vor den Gewalthabern.*“ Conferatur etiam *H. Ulrici* in libr. *Charakteristik d. antik. Historiographie p.* 132. sqq.

2) Illa Oda scripta est anno U. C. 741. ineunte, h. e. eo tempore, quo Romani, bellorum civilium tristitiam experti, jam dudum sibi gratulabantur Augusti imperium. Non igitur est, quod Horatium adulationis crimine notemus. Recte Fr. Jacobsius in Lect. Venus. XV. p. 332. Not.: „*Als Augustus durch Alter und Weiberherrschaft niedergedrückt, den Ruhm seiner frühern Regierung trübte, war Horaz schon todt. Die Gedichte, in denen er ihn preisst, fallen sämmtlich in die Zeit seiner Preiswürdigkeit.*“ Multa etiam ex hoc genere tribuenda sunt ornatui poetico, multa antiquarum linguarum naturae et indoli condonanda: vid. Jacobsii Lection. Venus. p. 359. N. 5.

Jam singulare illud meum in Caesarem Augustum studium tametsi cum aetate provectiore et accuratiore rerum ab eo gestarum cognitione aliquantum deferbuisse ac refrixisse confiteor; tamen numquam patiar me eo arrogantiae nescio dicam an malignitatis et iniquitatis abripi, ut veris illius virtutibus ejusdemque cum in imperium Romanum, quod tum, ut verissime ait Tacitus Histor. Lib. I. c. 1., ad unum conferri pacis interesset, tum in litteras artesque liberales meritis permultis et sane quam magnis quidquam detractum esse velim[3]). Atque idem ego lubenter concedo, quae ille in Triumviratu ignave, impie, perfide, immoderate, crudeliter fecisset, ea, cum rerum solus potitus esset, prudentia, moderatione, benignitate, constantia ab eo quodammodo compensata, et virtutibus vitia ac scelera praeclare factis esse redempta[4]). At si ex eo, quo modo quisque natus est et institutus, exquirimus, quid deceat ac quid sit laudabile, Augustus, spectata maxima vitae ejus parte, dicendus est multum degenerasse a parentibus neque se cum domestica disciplina, tum etiam naturali quodam bono defendisse. Neque enim puto quemquam tanto illius studio et amore captum teneri, quin eum Triumvirum, multorum scelerum non suspicione sed infamia commaculatum, detestetur et quae tum ediderit haud fallacia animi inhumanissimi et improbissimi documenta toto animo perhorrescat, etiamsi nonnullorum gratiam facinorum vel juventuti ejus faciamus vel temporum necessitati condonemus. Dio Cassius quidem, proscriptionis invidiam ab eo amoliturus, Lib. XLVII. c. 7 ait: *τῇ τε γὰρ φύσει οὐκ ὠμὸς ἦν, καὶ ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς ἤθεσιν ἐνετέθραπτο*, sed a miti clementique natura Julii Caesaris, quem Dio Cassius *τοῦ*

---

3) De Caesaris Augusti imperio scripsere multi: antiquiores ut hic omittam, mihi praeter *Acroasin J. A. Ernestii* editam a *Tittmanno in Ruhnkenii*, *Valckenarii aliorumque Epistolis* (Lips. 1812.) p. 191 sqq. et *Jo. Jac. Henr. Nastii* Comment. *de prudentia Octaviani Augusti in condendo prisco Romanorum imperio* in Opusc. Latin. N. XXI. p. 448 — 483., videtur inprimis commemoranda et commendanda esse Commentatio *Jo. G. Loebellii: Ueber das Principat des Augustus, im historisch. Taschenb. herausg. v. Fr. von Raumer. Jahrg.* V. 1834. N. III. p. 213 — 280., qui non minus docte quam acute Augusti in civitatem merita ponderavit eumque a nonnullorum criminationibus sine ira et studio vindicatum ivit. Quam Commentationem si legisset *Jentschius*, Praeceptor Gymnasii Crefeldensis, non dubito quin, quam eodem anno in Prolusione scholastica juris publici fecit scriptionem: *Ueber die Nothwendigkeit und Zweckmässigkeit der Staatseinrichtungen des Augustus*, aut delevisset totam aut nonum in annum pressisset!

4) Sunt maximam partem verba *Car. Morgensternii* in Comment. Critic. *de fide historica Velleji Paterculi* P. II. §. 3., quocum consentit *Loebellius de Principatu Augusti* l. c. p. 234.: „*Wer kann — läugnen, dass, wenn je ein Fürst das Seine gethan, um das Andenken an solche Thaten bei der Mitwelt zu verwischen, und den Hass, den er dafür verdient, durch grosse und mannigfaltige Wohlthaten in Liebe zu verwandeln, es gewiss Augustus gethan hat. Gegen die Zeit der Schlacht bei Actium, nach so unaufhörlichen, so zerstörenden Stürmen müssen in Rom Viele den Glauben an die Wiederkehr eines beständigen Friedens und fester Ordnung schon für einen täuschenden Traum gehalten haben. Und nun folgte so schnell die Erfüllung dessen, was man kaum mehr zu hoffen gewagt.*“

πατρὸς nomine significat, tantopere descivit, ut Sullae saevitiam haud impari gressu aemulatus esse videatur, nec multum absit, quin eum successoribus in civium caede ac veluti carnificina quodammodo facem praetulisse dicamus. Seneca de Clement. c. 9. §. 1. mitem principem dicit fuisse Augustum, si quis eum a principatu suo aestimare incipiat, et c. 11. §. 1. de eodem pergit: „In adolescentia caluit, arsit ira, multa fecit, ad quae invitus oculos retorquebat. — Fuerit moderatus et clemens: nempe post mare Actiacum Romano cruore infectum; nempe post fractas in Sicilia classes et suas et alienas; nempe post Perusinas aras et proscriptiones. Ego vero clementiam non voco lassam crudelitatem.“ Quamquam hoc etiam in loco Seneca de more παρενθύρσους sectatur atque acumina, tamen, si meminerimus, quam invidiosa cum atrocitate Augustus vel senex in sua ipsius viscera, Juliam dico utramque, filiam et neptem, saevierit, aliter vix fieri potest, quam ut Senecae judicio fidem adjungamus, et illum saevum natura crudelemque fuisse Principem suspicemur. Sed utcumque est, id tamen in confessis erit, nobis de Augusti animo et celebrata a quibusdam scriptoribus humanitate ejus ac clementia longe secus existimandum esse, ac de Julio Caesare, quem eo nomine ipsi adversarii, ut Cicero Philipp. II. c. 45. et ad Divers. Lib. VI. Epist. 6., praedicabant[5]). Atque cum Augustus ipse se affectando adipiscendoque imperio in comparationem Julii Caesaris evexerit, non videtur ejus Manibus injuriam facere, qui eum in contentionis judicium vocet atque ejus dicta et facta ad illius praestantiam examinet ac metiatur. Accedit, quod in omni agendi ratione se avunculi magni

---

5) Inter multos divinos humanosque honores, quos Julio Caesari, victori ex Hispania reduci a. U. C. 709. decrevit Senatus, etiam templum Caesari et Clementiae commune, in quo simulacra utriusque dextras jungerent, decretum esse legimus apud Appianum de B. C. Libr. II. c. 106., Dionem Cass. Libr. XLIV. c. 6 et Plutarchum in Jul. C. c. 57. Quod merito et perquam scite factum esse, nemo non intelligit. Vere enim scripsit *Jo. de Müllerus in d. Geschichten Schweizerisch. Eidgenossenschaft.* Libr. I. c. 4 p. 37. (ed. Lips. 1825.): „*Caesars Güte, als er noch nicht Herr der Welt, war die löblichste Klugheit, nachmals die schönste Eigenschaft seiner grossen Seele.*“ Atque hujus viri mores a teneris edoctus fuerat, ut Dio Cassius ait, sororis nepos, Augustus! Sed, ut probe admonuit *Loebellius de Princip. Aug.* l. c. p. 233.: „*Auch Dio darf bei allgemeinen Urtheilen über den August nur mit Misstrauen gehört werden, und wenn man die Erbarmungslosigkeit bedenkt, mit welcher dieser nach der Schlacht bei Philippi, und besonders nach der Einnahme von Perusia, wo er völlig allein stand, verfuhr, so wird man geneigt sein, dem unparteiischen Sueton c. 27. zu glauben, wenn er sagt: den Proscriptionen habe er anfangs sich widersetzt, als sie aber ihren Anfang genommen, sei er härter und unerbittlicher gewesen, als seine beiden Genossen. Dieses stimmt mit seiner Denkweise überein: er trug Bedenken, Terrorist zu werden, nachdem er sich aber einmal dafür entschieden, war er es am consequentesten.*“ Refugit animus et reformidat cogitare ista tempora, de quibus *H. Ludenius* in *Allgem. Gesch. d. Völker u. Staaten* Libr. IV. c. 12. Tom. 1. p. 537.: „*In der ganzen Geschichte kommen wenige Auftritte vor, welche die menschliche Seele mit solchem Ekel und solcher Wehmuth über Verirrungen erfüllen, als diese schrecklichen Zeiten in Rom; aber die menschliche Seele verläugnet sich doch nicht ganz, und Einzelnes erhebt auch hier die niedergebeugte Seele hoch empor.*“

sui aemulum ipse professus est adeoque scriptis ingenii monumentis nomen et celebritatem illius aequare studuit, ut alio loco docebimus. At utroque nomine comparatus cum illo quam inferior discedat Augustus, nemo facile erit, qui infitias eat[6]).

Vita Augusti publica universe si spectatur et ex scriptorum fide et auctoritate gravissimorum testimoniis censetur, negari non potest, eam alio tempore aliam fuisse ac plane diversam, ita ut ne aequalibus quidem satis constaret, qualis homo esset, nedum posteris. At si tempus, inde a Triumviratu ad finem usque imperii diuturni deductum, in tres partes tamquam in actus fabulae scenicae descripserimus, sine ulla injuria dicendus est fabulam vitae sic peregisse, ut primum et tertium actum velut iners poeta negligeret. Tacitus Ann. Lib. III. c. 28. „Sexto demum," inquit, „consulatu Caesar Augustus, potentiae securus, quae triumviratu jusserat, abolevit deditque jura, quîs pace et principe uteremur," h. e. anno U. C. 726., qui est primus legitimi principatus annus: vid. Lipsius ad Taciti Ann. Lib. I. c. 9. Atque fatendum est, eum inde ab hoc tempore gloriam et quaerere coepisse ratione et collocare, videlicet potentiae securum, ut non sine acumine addidit Tacitus. Ad illam autem potentiam non virtutis via grassatus, sed calliditate, perfidia et omnis generis crudelitate usus adscendit[7]). Julius Caesar, cui persuasum esset, non aliud discordantis patriae remedium esse, quam ut ab uno regeretur, regnum affectabat simpliciter, libere et, cum tempus ferret, aperta vi armorum; sed sororis ejus nepos, immensa incitatus ambitione regnandique cupiditate, dissimulanter, furtim neque ullo fraudis ac crudelitatis genere abstinens sese sensim pedetentimque Romanis dominum imponebat[8]). Quod Ovidius Heroid. Epist. II. v. 85. tribus verbis ex-

---

6) Quod cum dico, tantum tamen abest, ut quae nonnulli recentioris aetatis viri docti scripsere, meo consensu approbem, ut maximam partem eis calculum adjiciam, quae contra illos disputavit *Loebellius de Princip. Aug.* l. c. p. 229—231. Ut hic silentio praeteream *Wielandum ad Horatii Libr. II. Epist.* 1. *p.* 9. *sqq.*, quo confiteor neminem nostrae aetatis in deformando illo Principe fuisse disertiorem, etiam *Fr. A. Wolfius* de illo paulo abjectius sensit, haec in scholis effatus: „*Augustus hatte den Agrippa und Maecenas zu Rathgebern. Er selbst war ein unbedeutender Mensch:*" si fides est *J. D. Gürtlero* in *Fr. A. Wolfs Vorlesung über die Gesch. d. röm. Litteratur* p. 80.

7) Cadit in Augustum illud: *ἡ πανουργία ἐθέλει νοῦς εἶναι, τυχεῖν οὗ ἐφίεται οὐ δυνάμενος*, ut ait Plotinus Ennead. II. 3. 11. Tom. I. p. 255. Creuz.

8) Varias artes, quibus versutissimus ille homo a principio usus imperium adeptus est, pulchra enarratione complexus est *Drumannus in Histor. Rom.* Tom. I. p. 120. sqq. Neque ipse dissimulavit illas artes, si fidem babemus Appiano de B. C. Libr. III. c. 48. Consentit *H. Ludenius* in *Allgem. Gesch. der Völker u. Staaten.* Libr. V. c. 1. Tom. I. p. 547.: „*Caesar Octavian — übernahm die Herrschaft dieser römischen Welt. Er hatte sie erlistet und erkämpfet. Alle tüchtigen Männer mit republicanischer Seele waren umgekommen, oder sie waren doch bis zur Verzweiflung an der Freiheit gebracht durch das Unglück der Zeit: also machte ihm Keiner die Gewalt streitig, wenn er auch noch mehrmals durch Verschwörungen geängstiget wurde. Augustus indess bediente sich der Gewalt mit desto mehr Mässigung, je gewisser sie ihm war.*" Adde ea, quae scripsit *C. Passovius in Q. Horatii Flacci Vita* p. XXXV. sqq.

primit: *Exitus acta probat*; id suo more verbosius explanat Dio Cassius Libr. XLV. c. 4. et haud incommode ad Augustum transfert. Is enim cum in tanta collegarum levitate, inconstantia ac socordia ex dissidiis armisque discordibus superior discessisset, et unus ex Triumviris superstes incolumisque evasisset, multa illa et immania, quae Triumvir commiserat, scelera lucrifecit[9]). Quo quidem necopinato rerum exitu eventuque credibile est Augustum ipsum obstupuisse, praesertim cum illum non tam prudentiae suae, consilio et fortitudini acceptum referre posset, quam Fortunae, fidissimae ejus per omnem vitam comiti[10]). Qua de re ipsos aequales summa incessit admiratio. Nam Cornelius

---

9) De proscriptionis invidia, qua ille premebatur, praeclare *Drumannus in Hist. Rom.* Tom. I. p. 366. haec scripsit: „*Den Sieger rechtfertigte der Sieg; gern glaubte man dem Kaiser, der Geschichte seines Lebens von seiner eignen Hand, und Höflinge und andere wiederholten, dass seine Collegen jene Gräuel verschuldeten, welche ihm nicht als Verbrechen, sondern als ein Unglück anzurechnen seien, weil man ihm nur die Wahl liess, einzuwilligen oder der Bestrafung der Mörder, der Erfüllung einer heiligen Pflicht zu entsagen.*“ Commentarios, quos *de vita sua* scripserat Augustus, ad corrumpendam istius temporis historiam plurimum contulisse, suo loco ostendam Cap. XI.

10) Quae res prosperaverint victoriam dominationemque Augusti, dum Triumvir erat, succincte exponit *Drumannus in Hist. Rom.* Tom. I. p. 122.: „*So gelangte er* (Augustus) *auf den Thron, indem er jedem andern den Zugang sperrte, so lange er selbst noch nicht genug erstarkt war, ihn einzunehmen, und immer etwas anders zu suchen schien; weshalb er immer Hülfe fand. Doch förderte ihn auch das Glück: seine Jugend, welche die Kurzsichtigen sicher machte; die Verkehrtheit der Optimaten, die Feindschaft Ciceros gegen Antonius, die Unfähigkeit des Pompejus, seine Macht zu gebrauchen, der kraftlose Ehrgeiz des Lepidus und der Leichtsinn des Antonius, welcher im Anschaun einer gekrönten Buhlerin versunken und von ihrer Sirenen-Stimme verlockt nicht sah, nicht hörte, und in der öffentlichen Meinung sich selbst zu Grunde richtete. Da aber bei dem Allen zuletzt in Schlachten zu entscheiden war, worin er wenig und zur See gar nichts leistete, so ist es noch als eine besondere Gunst des Schicksals hervorzuheben, dass ein Agrippa ihm zur Seite stand.*“ Quod Drumannus de Augusti imperitia belli terra marique gerendi hic monuit, id quam verum exploratumque sit, nemo nescit. Non magnum in re militari usum habere potuit, quippe semel tantum in castris avunculi magni versatus: vid. Cap. I. §. 4. Ignaviae et timiditatis suspicionem ac crimen num satis depellere a se potuerit valetudine, qua in ipsis proeliis eum passim correptum esse legimus, in medio relinquam, siquidem etiam seriori tempore haud pauca animi imbellis et meticulosi documenta ediderit: vid. infra ad N. V. In proelio ad Mutinam posteriore eum non modo ducis, sed etiam militis functum munere atque in media dimicatione, aquilifero legionis suae graviter saucio, aquilam humeris subisse, diuque portasse, auctor est Suetonius c. 10.: quae male intellecta amplificavit Florus Libr. IV. c. 4. §. 5., judice *Drumanno in Hist. Rom. Tom.* I. *p.* 308. N. 94. M. Antonii, fortis sane et periti ducis ac strenui militis, convicia Augusto ignavo facta, (vid. infra N. VII.) pari acerbitate nescio dicam an rusticitate expressit *Jo. H. G. de Justi* in *Gesammelt. polit. und Finanzschriften* (*Kopenh.* 1761.) *Tom.* II. *p.* 210.: „*Es ist soweit gefehlet, dass man den August für einen Helden ansehen kann, dass vielmehr sein Muth überaus zweifelhaft gewesen ist. Wenigstens hat er denselben niemals gezeiget. Er hat sich vielmehr den Schlachten unter dem Vorwande von Krankheiten und andern Bemäntelungen auf alle Art entzogen, zu der Zeit, da er noch um die Oberherrschaft zu streiten hatte, und die Schlacht bei Actium kann ihm so wenig für eine Heldenthat angerechnet werden, als es einem Jaeger zur Heldenthat gereichet, wenn er einen Hasen hezet. Denn Antonius bezeigte sich in dieser Schlacht weit niederträchtiger und furchtsamer, als ein solches langöhrigtes Thier.*“

Nepos in Vit. Attici c. 19. scripsit: „Tanta prosperitas Caesarem (Augustum) est consecuta, ut nihil ei non tribuerit Fortuna, quod cuiquam ante detulerit et conciliarit, quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi.“ Aetas Nepotis facit, ea ut primis Augusti principatus annis scripta esse statuamus. Et hercle quantus ex quantillo factus est, si tria illa animo revolverimus lustra, quibus eum, avunculi magni caede comperta, redeuntem videmus Apollonia adolescentem inermem vixque militiae rudimentis imbutum, et quindecim annis post Alexandria revertentem orbis terrarum domitorem et victorem Julio Caesare majorem et feliciorem! Quis est, cui haec mente et cogitatione perpendenti non succurrat alloqui Manes ejus:

Qui tu, gallinae filius albae,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis:

ut scripsit Juvenalis Sat. XIII. v. 141. ad *Fortunae filium*, quem vocat Horatius Lib. II. Sat. 6. v. 49., designandum, respiciens, ut quidam opinantur, miraculum istud, quod refert Plinius N. H. Lib. XV. c. 30.: „Namque Liviae Drusillae, quae postea Augusta matrimonii nomen accepit, cum pacta esset illa Caesari, gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abjecit in gremium illaesam, intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramum onustum suis baccis. Conservari alitem et sobolem jussere aruspices ramumque eum seri ac rite custodiri. Quod factum est in villa Caesarum, fluvio Tiberi imposita juxta nonum lapidem Flaminia via, quae ob id vocatur „*Ad Gallinas*“, mireque silva provenit. Ex ea triumphans postea Caesar laurum in manu tenuit coronamque capite gessit, ac deinde Imperatores Caesares cuncti“11).

Neque tamen Augustus, ex quo unus imperio praeesset, tam singulari Fortunae favore ac beneficiis prorsus indignum se praestitisse existimandus est. Quod de Julio Caesare dictitatum et, auctore Seneca N. Q. Lib. V. c. 18. §. 3. ab T. Livio positum erat, in incerto esse, utrum illum magis nasci reipublicae profuerit, an non nasci; id nego de Augusto dici quaerique potuisse. Imperii enim Romani tum ea erat conditio, ut talis, qualem Augustum cognitum habemus, debuerit nasci Princeps clavumque regni capessere et tenere. Ista aetas alteri cuidam Julio Caesari ferendo impar erat; in nullius nisi in Augusti sive virtutibus sive vitiis civitas Romana, multorum annorum turbis jactata rerumque fessa conversionibus, poterat longius ac securius acquiescere 12). Ac veri est simillimum, aliquot annis post, quam res ab uno Augusto sapienter componi, nec sine virtutis moderationisque specie regi coeptae erant, haud paucos fuisse, qui experientia edocti, imperium, dum a pluribus sustineatur, ruere, eadem sentirent, quae Q. Curtius Rufus, felicitatis publicae, quam Augustus adduxerat,

---

11) Idem miraculum narrant Suetonius in Galb. c. 1. et Dio Cassius Libr. XLVIII. c. 52. Caeterum Plinii locum consulto transscripsi, ut aliqua mentio jam hic injiceretur *Liviae Drusillae*, quae in mimo vitae Augusti non esset secundarum aut tertiarum partium.

12) Totus assentior eis, quae hac de re scripsit *C. Passovius in Q. Horatii Flacci Vita* p. CV. sq.

contemplatione commotus Libr. X. c. 28. §. 3. sqq. scripsit: „Proinde jure meritoque populus Romanus salutem se principi suo debere profitetur, qui noctis, quam paene supremam habuimus, novum sidus illuxit. Hujus, hercule, non solis ortus, lucem caliganti reddidit mundo, cum sine suo capite discordia membra trepidarent. Quot ille tum exstinxit faces! quot condidit gladios! quantam tempestatem subita serenitate discussit! Non ergo revirescit solum, sed etiam floret imperium. Absit modo invidia: excipiet hujus seculi tempora ejusdem domus utinam perpetua, certe diuturna posteritas“ 13). Atque ea in re confitemur, summae laudi honorique ducendum esse Augusto, quod, quibus Triumvir jam usus fuisset rerum gerendarum administris, Maecenate et Agrippa, viris consilii ac fidei capacissimis, eos, rerum solus potitus cum esset, adjutores operum principalium in omnia haberet eorumque consiliis obsequeretur. Nam utrique potissimum gloriae suae et incrementa per primos principatus annos et ornamenta eum accepta retulisse, tanto minus licet dubitari, quanto evidentioribus constat documentis, eum, simulatque illis amicis orbatus esset, denuo commisisse, quae partam vitae ante actae imperiique laudem imminuerent 14). Itaque populus Romanus utique habebat, quod sibi, exantlatis tot ac tantis bellorum calamitatibus, Augustum gratularetur principem pacis sive naturâ sive consilio amantissimum, neque mirationem cuiquam faciet, si cum omnes omnium ordinum homines in dies magis ei favere laetique securitatis publicae curam et tutelam committere coeperunt, tum inprimis poetae, quorum largum proventum illa

---

13) Nullus dubito hunc Q. Curtii locum ad Augustum referre cum *Aug. Hirtio* in libr. *Ueber das Leben des Geschichtschreibers Q. Curtius Rufus.* (*Berlin* 1820.) p. 4. sqq. et p. 36. sqq., cujus sententiam Zumptius quoque amplexus docte communivit in Praefat. Edit. Curt. p. XXIII. sqq. Hujus loci Curtiani mihi nuper in mentem venit, cum legebam quae de Augusti imperio scripta sunt ab *Jacobsio in Lection. Venusin.* XV. p. 332.: „*Von äusserer Gewalt befreit, hatte er* (Augustus) *die errungene Macht zum Heil der römischen Welt angewendet, und die grösste Wohlthat, die er ihr erwiesen hatte, bestand darin, dass er ohne wesentliche Veränderung, wie es schien, nach dem Vorgange seines vergötterten Oheims, die getheilte Gewalt in seiner Hand zusammenfasste. Wenn schon jeder, der nicht am leeren Namen haftete, leicht erkannte, dass, seitdem Einer als der Erste (Princeps) an der Spitze der Verfassung stand, dieses nicht mehr die Verfassung der alten Republik sei, so waren doch gewiss nur wenige, die dieses, schon von Julius Caesar zerstörte Phantom zurückwünschten, und die furchtbaren Kämpfe, in denen die Republik sich selbst vernichtet hatte, der Sicherheit vorzogen, deren die Welt unter dieser gemässigten Alleinherrschaft genoss. Die versöhnende Kraft des monarchischen Princips hatte die streitenden Elemente vereinigt; und auswärts stand die römische Majestät nicht weniger furchtbar, aber weniger gefürchtet als damals, da ein von Parteiungen zerrissener Senat Jahr für Jahr Schaaren von Gewalthabern aussendete, scheinbar um das Recht zu handhaben; meist aber um gewinnreiches Unrecht zu üben. So erschien also gewiss den Meisten Augustus wie ein heilbringendes Gestirn, dessen Einflusse die Welt einen Frieden verdankte, wie sie nie vorher genossen hatte.*“

14) Supervacaneum est hic quaerere, uter utri sapientia et consilio praestiterit in communi rerum publicarum administratione, Augusto auspice; illud gravius fuerit videre, num utrique Augustus pro suo cuique merito debitam gratiam rependerit. Videsis quae infra adnotavi N. XII.

prae caeteris aetas ferebat, partim otii et pacis dulcedine pellecti, partim nullo non liberalitatis officiorumque genere ornati, certatim eum laudarunt et omnia, quae necessitas jubere aut prudentia commendare videretur, gravissimis amplissimisque verbis exornarunt [15]).

Quapropter operae pretium fuerit, nosse, quid Romani senserint, simulatque Augustus vita excesserat. Ea autem in caussa testem et auctorem habemus, quo haud scio an neminem graviorem disertioremque reperire possimus. Dico Tacitum, spectatae fidei scriptorem et candidum virtutum humanarum vitiorumque existimatorem, qui Annal. Libr. I. c. 9. et 10. referens, quam multus ac discrepans fuerit sermo de Augusto mortuo et quam certautia aequalium in hujus Principis virtutum aestimatione judicia, his usus est verbis [16]): „At apud prudentes vita ejus varie extollebatur arguebaturve. Hi pietate erga parentem et necessitudine reipublicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quae neque parari possent neque haberi per bonas artes. Multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse. Postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriae remedium fuisse quam ut ab uno regeretur. Non regno tamen neque dictatura, sed principis nomine constitutam rempublicam: mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium: legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa: jus apud cives, modestiam apud socios: urbem ipsam magnifico ornatu: pauca admodum vi tractata, quo caeteris quies esset." — „Dicebatur contra, pietatem erga parentem et tempora reipublicae obtentui sumpta: caeterum cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos, pa-

15) Illa aequalium suffragia nonnumquam venalia fuisse ipsorumque poetarum laudes eblanditas negari nequit. Cavendum etiam est, ne patrocinio, quo nonnullos suae aetatis poetas dignabatur, plus, quam par sit, tribuamus. Consentientem ea in re habeo virum eximium, *Fr. Jacobsium*, qui in Oratione in memoriam Ernesti II. Ducis habita a. 1804. haec dixit: „*Wenn — Octavian mit wohlfeilen Gaben einige Sänger seiner Zeit über das dringende Bedürfniss erhob und mit dem Tribut ihrer Dankbarkeit das Andenken an die Verbrechen seiner Jugend dürftig bedeckte, so gewannen die Künste hierbei nur durch glücklichen Zufall, welcher seine Wahl leitete, eine Wahl, welche mehr durch Eitelkeit als durch eine gefühlte Achtung gegen das Verdienst bestimmt wurde.*" *S. Fr. J. Vermischte Schriften. Th. I. S.* 23.

16) In describendis Taciti verbis secutus sum recensionem *G. H. Waltheri*. Caeterum aegre carui hic animadversionibus ab *Herdero* in *Briefen zur Beförderung der Humanität* 35. *Tom. XI.* p. 53. sqq. (*Tübing.* 1810.) eximie laudatis, quas *Thomas Gordon* subjecit interpretationi Britann. Opp. Taciti (Londin. 1728 et 1730. Tom I. et II. Fol.), translatas, ut Herderus adnotavit, in linguam Franco-Gallicam (Amstelod. 1742.) et Germanicam hoc titulo: „*Die Ehre der Freiheit der Römer und Britten nach Gordons staatsklugen Betrachtungen über den Tacitus. Nürnberg* 1764." Salivam mihi movebant inprimis tituli Cap. II.: „*Von Octavius - Augustus Ränken, seinem rachsüchtigen Gemüthe, seinem Meineide, Grausamkeiten und den Begebenheiten, die zu seinem grossen Namen beitrugen.*" Cap. III.: „*Von der Liebe des Volks und Raths, die er sich zu erwerben suchte.*" Cap. IV.: „*Von der Ehre, mit welcher ihm die Dichter geschmeichelt.*" Cap. V.: „*Von dem falschen Glanz, den seine Nachfolger ihm verschafft haben.*"

ratum ab adolescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompejanarum gratiam partium: mox ubi decreto patrum fasces et jus praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa, sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri affusum, sui milites Hirtium et machinator doli Caesar abstulerat[17]), utriusque copias occupavisse: extortum invito Senatu consulatum, armaque, quae in Antonium acceperit, contra rempublicam versa: proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem qui fecere laudatas. Sane Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos, quamquam fas sit privata odia publicis utilitatibus remittere: sed Pompejum imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiae deceptos: post Antonium Tarentino Brundisinoque foedere et nuptiis sororis illectum subdolae affinitatis poenas morte exsolvisse. Pacem sine dubio post haec, verum cruentam: Lollianas Varianasque clades, interfectos Romae Varrones, Egnatios, Julos[18]). Nec domesticis abstinebatur. Abducta Neroni uxor et consulti per ludibrium pontifices, an concepto necdum edito partu rite nuberet: Q. Tedii et Vedii Pollionis luxus[19]): postremo Livia, gravis in rempublicam mater, gravius domui Caesarum noverca. Nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet. Ne Tiberium quidem caritate aut reipublicae cura successorem adscitum: sed quoniam arrogantiam saevitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse. Etenim Augustus paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quamquam honora oratione quaedam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat, quae velut excusando exprobraret." [20]).

Qui a me huc transscriptus est Taciti locus, non tam rerum quas continet gravissimarum, quam ipsius scriptoris ratione habita perquam memorabilis est. Exstitisse Romae, qui Caesaris Augusti suo fato exstincti vitam varie extollerent arguerentve, per se nihil habet mirationis; quid, ne illud quidem, quod ipsi pru-

---

17) De diro hoc scelestoque, quod Caesari Augusto quidam impegerunt, crimine intelligenter scripsit *Drumannus* in *Histor. Rom. Tom.* I. *p.* 312.: „*Die Möglichkeit des Verbrechens und der Vortheil, welchen es verhiess, ist der einzige Beweis dafür; kein Schriftsteller, bei welchem sich die Nachricht findet, mag deren Wahrheit verbürgen, und die übrigen, deren die meisten sind, zum Theil Zeitgenossen, melden nichts, als dass Hirtius in der Schlacht und Pansa an den Folgen seiner Verwundung starb. Diess genügt ihren Tod zu erklären; nur, wenn es an Aufschluss darüber fehlte, würden Vermuthungen gestattet sein, wobei man denn doch auch nicht vergessen dürfte, dass Octavian besonnen war und zwei der angesehensten Caesarianer nicht ermorden konnte, ohne die Gunst aller Veteranen auf das Spiel zu setzen.*" Ejusdem rei, cujus fides est penes *Aquilium Nigrum*, incognitum alias scriptorem, mentionem ὡς ἐν παρόδῳ injiciunt Suetonius c. 11. et Dio Cass. Libr. XLVI. c. 39., ut ne commemorem Pseudo-Brutum in Epist. ad Ciceron. I. 6.

18) De *Licinio Varrone Murena* et *M. Egnatio Rufo*, conjurationis adversus Augustum auctoribus, alibi dicendi locus erit; de *Julo Antonio*, ejusdem criminis reo, expositum est a me in Excurs. V. ad Comment. *de Cassio Parmensi p.* 356. *sqq.*

19) De *Quinto Tedio* et *Vedio Pollione* conferantur quae scripta et adnotata sunt infra ad N. XLII.

20) De hoc Taciti loco peracute disseruit *Loebellius de Princ. Augusti l. c. p.* 226. *sqq.*

dentes ea de re inter se discrepabant. Credibile etiam est, hujusmodi judicia tam discrepantia, Augusto adhuc vivente ac vigente, cum scriptis historicorum, ut Asinii Pollionis, Timagenis, Cremutii Cordi, T. Labieni aliorumque divulgata, tum etiam ore omnium frequentata esse. At neminem non permirum habeat necesse est, primum quod Tacitus in re tam gravi suum ipse judicium suspendit et contra atque alias solet diversa prudentium illorum judicia ex persona loquentium protulit. Quod quidem consulto ab eo factum esse, nemo, qui Tacitum noverit, infitiabitur. Deinde in afferendis eis, quae ex aliorum persona in laudem Augusti profert, non tantum justo brevior est verborumque manifesto parcus, sed in tota hac parte ita versatur, ut, quae illius Principis vel defendendi vel excusandi caussa dicuntur, ea velut excusando exprobrata ei esse videantur. Denique nonnulla, quae de vita Augusti non reticenda aut dissimulanda, sed jure commemoranda adeoque laudanda fuissent, silentio penitus praeterita esse, plurimum et offensionis et suspicionis apud quemlibet habebit. Contra quae ab aliis reprehensa essent in vita Augusti et in invidiam odiumque vocata, tam copiose, tanta cum cura ac subtilitate exsequitur, ut, licet sui animi sententiam expressis verbis non declaraverit, non ulli tamen dubitationi locus relinquatur, quin ipse in hominum ita judicantium sententiam transierit eamque totam fecerit suam, ut censuit jam Lipsius ad h. l. — Quid multa? cum caetera omnia ex mente aliorum relata essent, ea, quae illi prudentes de Tiberio, successore adscito, quo desiderabilior ipse fieret, suspicati essent, verisimilia reddere ac confirmare ipse studet, facta mentione eorum, quae paucis ante annis ab Augusto in Senatu de privigno illo dicta essent. Id profecto perspicue ostendit, quae fuerit mens Taciti et utram partem prudentium, qui Augusti vitam extollerent arguerentve, ipse secutus sit[21]. Atqui

---

21) *Loebellius de Princ. Augusti l. c. p.* 226. sq. inter alia haec scripsit: „*Wohin sich — das Gemüth des Geschichtschreibers* (Tacitus) *neigt, dürfte kaum eine Frage sein; dass man aber darum berechtigt ist, nach dem Vorgange des Lipsius zu folgern, in der letztern Rede sei die Meinung des Tacitus völlig enthalten, bezweifle ich sehr. Es spricht dagegen besonders der Schluss, wo einer vier und vierzigjährigen Regierung zwei Niederlagen, wie sie doch auch dem freien Rom in den schönsten Zeiten seiner Entwickelung nicht fehlten, vorgerückt werden, und mit den Hinrichtungen bei der Entdeckung einiger Verschwörungen so zusammengeschoben, dass der Friede, dessen die Römer unter dieser Regierung genossen, als ein blutiger bezeichnet werden kann. In dem gehässigen Eindruck, welchen diese entstellende Wendung hervorbringt, liegt eine Ungerechtigkeit, von der man ein zweites Beispiel im Tacitus vergebens suchen würde. Er scheint mir daher nur andeuten zu wollen, dass der Groll den edlern und bessern Seelen angehörte, und dass sie genügenden Grund dazu hatten, keineswegs aber will er alle Aeusserungen vertreten, zu welchen dieser Groll die Heftigen fortriss. Dass er ihn theilt, will er nicht verhehlen, auch in einigen andern gelegentlichen Aeusserungen ist vorherrschende Bitterkeit unverkennbar*.“ Conferas Ann. Libr. I. c. 11. et Libr. III. c. 24. Equidem cur Lipsium putem verum vidisse, satis declarasse mihi videor, et quod attinet ad verba illa: „*Pacem sine dubio — cruentam* etc.“ quorum caussa Tacitum injustitiae cujusdam insimulat *Loebellius*, vereor ut vir doctissimus satis attenderit ad opposita illa c. 9. „*pauca admodum vi tractata, quo caeteris quies esset.*“

hoc Taciti de laudatissimo illo Principe testimonium plurimi faciendum esse liquet. Illa enim cum scriberet auctor veracissimus, omnis metus, ambitionis, irae odiique caussas procul habebat; tempora ipse viderat civitati longe calamitosiora et multo deteriores cognoverat Imperatores, ex quorum comparatione ad Augustum ejusque imperium non posset non plurimum laudis, ornamenti ac splendoris redire. Nihilo tamen minus huic per ambages quidem, sed satis tamen aperte insanam dominandi cupidinem, dissimulatam crudelitatem ac simulatam ambitiosamque salutis publicae curam exprobrat.

Jam quaerentibus nobis, quî factum sit, ut Tacitus tam maligne atque acerbe de Augusto sentiret, nulla occurrit caussa, quae majorem habeat probabilitatem, quam quod scriptor candidissimus illius Imperatoris animum obscurum, ambiguum, fallacem versutumque aversaretur[22]). Atque talis animi vestigia toti illius vitae moribusque videntur tam multa tamque certa impressa fuisse, ut vel sera posteritas eo nomine male de eo opinaretur. Cujus quidem rei testis non contemnendus est Imperator Julianus, qui ipse purpureus tyrannus, neglecta verecundia majoribus debita, non erubuerit in Deorum Caesarumque convivio, quod in coelo a Romulo Saturnalia agitante institutum esse fingit, Augustum facere versipellem et his verbis traducere[23]): „*Παίζοντος ἔτι ταῦτα τοῦ Σειληνοῦ καὶ τῶν θεῶν οὐ σφόδρα προσεχόντων αὐτῷ, Ὀκταβιανὸς ἐπεισέρχεται, πολλὰ ἀμείβων, ὥσπερ οἱ χαμαιλέοντες, χρώματα, καὶ νῦν μὲν ὠχριῶν, αὖθις δὲ ἐρυθρὸς γινόμενος, εἶτα μέλας, καὶ ζοφώδης καὶ συννεφὴς, ἀνίετο δὲ αὖθις εἰς Ἀφροδίτην καὶ Χάριτας. Εἶναι δὲ ἤθελε τὰς βολὰς τῶν ὀμμάτων, ὁποῖός ἐστιν ὁ μέγας Ἥλιος. Οὐδένα γάρ οἱ ἀπαντώντων ἀντιβλέπειν ἠξίου. Καὶ ὁ Σειληνὸς, βαβαὶ, ἔφη, τοῦ παντοδαποῦ τούτου θηρίου!*“[24]) Atque omnibus,

---

22) Haec etiam est sententia *Loebellii de Princ. Augusti l. c. p.* 228.: „*Diese Bitterkeit bezieht sich offenbar auf den persönlichen Charakter des Augustus, auf das Falsche, Versteckte, Hinterlistige in ihm, nicht auf seine That, nicht auf den Umsturz der Verfassung durch ihn. Denn darüber hat sich Tacitus nie getäuscht; er wusste, dass die wahren Gründe dieses Umsturzes in den Verhältnissen lagen, die Wiederherstellung der Republik hielt er für einen müssigen Traum. M. s. Süvern Ueber den Kunstcharakter des Tacitus in d. Abhandl. d. historisch-philolog. Classe d. Berl. Akadem. d. Wissensch.* 1822 *u.* 1823. *S.* 84 *fgg. und vergl. Ulrici's Charakteristik d. antik. Historiographie S.* 272.“

23) Invenitur hic locus in *Juliani Caesaribus* p. 309. ed. Spanh. et p. 4. ed. Heusing. In Juliani verbis nihil mutavi, nisi quod pro *γενόμενος* cum Sylburgio reposui *γινόμενος* et pro vulg. *οὐδένα γὰρ οἱ τῶν πάντων ἀντιβλέπειν* sine haesitatione recepi Spanhemii correctionem *οἱ ἀπαντώντων*, quam contextus suadet.

24) Fallitur Spanhemius, opinatus, ab Juliano colorem Augusti appellatum esse *ὠχριῶντα*, quia, auctore Suetonio c. 79., inter aquilum candidumque fuerit. Est autem color *aquilus*, ut Festus p. 18. ait, *fuscus* et *subniger*, *dunkelfarbig*, *schwärzlich*. Quis non videt, v. *ὠχριᾶν* denotari h. l. pallorem, quo Augustus Deorum convivium ingrediens suffundebatur. Gravius etiam errat Spanhemius, v. *ἐρυθρὸς* explicans de virtutis ac verecundiae colore, et ap. Sueton. Aug. c. 69. feminae istius consularis e triclinio in cubiculum abductae *rubentes auriculas* in pudoris signis habet. Quod quam ridiculum sit, ostendere erubesco. Non minus ille ariolatur in vv. *μέγας, ζοφώδης* et *συννεφὴς*, miratus, talem Augusti vultum neque in statuis neque

quae scriptores de vita Augusti cum publica tum privata memoriae prodiderunt, compositis eisque sine cupiditate consideratis, ingenue fateamur necesse est, illum Principem ne in medio quidem vitae actu neque factis suis neque dictis ita invigilasse, ut ne homo esse existimaretur ex contrariis diversisque atque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatus et omnes aut bene aut male agendi rationes extrinsecus suspensas habens[25]). Neque potest ea agendi ratio satis et explicari et excusari crebris rerum per omnem vitam vicissitudinibus, quas succincta eaque pulchra narratione complexus est Plinius N.

---

in numis repraesentari, neque a Suetonio describi, quo auctore c. 79. ille Princeps fuerit *vultu, vel in sermone vel tacitus, tranquillo serenoque.* Eum vultum Augusto nativum Julianus verbis significat: ἀνίετο — αὖθις εἰς Ἀφροδίτην καὶ Χάριτας. At cum ipsum Chamaeleonti comparet, quod animal, ut Ovidius Metam. Libr. XV. v. 412. ait, *Protinus assimulat tactu quoscumque colores,* in aprico est, illa, quae de mutatis vultus coloribus dicta sint, improprie atque ironice esse accipienda. Vultus, ut Cicero d. Orat. Libr. III. c. 59. §. 221. ait, est imago animi! Nec dubitari potest quin Julianus animum Augusti se huc illuc versantem, et ad tempus regentem diversisque studiis affectibusque servientem voluerit exprimere ac perstringere. Ea demum interpretatione vim accipiunt et acumen Sileni verba: βαβαὶ, τοῦ παντοδαποῦ τούτου θηρίου! Eidem sententiae patrocinantur sequentia, in quibus notatur et carpitur Augusti vanitas, qua volebat existimari in oculis inesse quiddam divini vigoris, gaudebatque, si qui sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum summitteret, ut refert Suetonius c. 79. Quocum non pugnat Plinius N. H. Libr. XI. c. 37.: „*Divo Augusto equorum modo glauci fuere* (oculi) *supraque hominem albicantis magnitudinis. Quam ob caussam diligentius spectari eos, iracunde ferebat.*" Tanta ille erat animi inconstantia ac mutabilitate! Tanta etiam rerum inanium affectatione! Sic cum esset statura brevi, calciamentis usus est altiusculis, ut procerior quam esset videretur, ut auctor est Suetonius c. 73.

25) Quam ob caussam non est quod miremur, si qui morosiores exstitere, qui eum multis modis criminarentur et, quidquid sapienter ac salubriter instituisset, in eo unice de sua apud aequales posterosque existimatione laborasse contenderent. Inter eos eminent duo Britanni rerum Romanarum scriptores: *Ed. Gibbonus* in *Gesch. d. Verf. und Unterg. d. Röm. Reichs Lips.* 1779. *ex interpr. Wenckii* Cap. III. Tom. I. p. 147.: „*Augusts sorgfältige Achtung für eine freie Staatsverfassung, die er zerstört hatte, kann man sich blos durch eine aufmerksame Betrachtung des Charakters dieses arglistigen Tyrannen erklären. Ein kalter Kopf, ein unfühlbares Herz und eine feige Denkungsart trieben ihn an, als er neunzehn Jahr alt war, die Maske der Heuchelei vorzunehmen, die er nachher nie wieder ablegte. Mit eben derselben Hand und wahrscheinlich in eben derselben Gemüthsverfassung unterzeichnete er Cicero's Verurtheilung und Cinna's Begnadigung. Seine Tugenden, und selbst seine Laster waren voll Kunst; und, nach verschiedenen Eingebungen seines Eigennutzes, war er zuerst der Feind, und zuletzt der Vater der römischen Welt. Als er das künstliche System der kaiserlichen Regierung bildete, so ward seine Mässigung von seiner Furchtsamkeit geleitet. Er wollte das Volk durch das Bild der bürgerlichen Freiheit und die Armeen durch das Bild der bürgerlichen Regierung hintergehen.*" Haud absimili cum severitate sententiam fert *Ad. Fergusonus*, qui inter alia: „*Gegen die Menschheit schien er gleichgültig zu seyn; wünschte aber Achtung und Gewalt als Gegenstände seines eignen Interesses. Seine Hauptleidenschaft war Herrsucht. Deswegen beging er verschiedene Verbrechen.*" Et paulo post: „*Weder Freund noch Feind der Menschheit, war er bloss nach seinem persönlichen Interesse und nach den Umständen der Urheber der Leiden und Freuden, die sie genoss.*" Vid. *Gesch. des Fortgangs und Untergangs d. Röm. Republik. Uebers. v. C. D. B.* (*Leipz.* 1786.) Tom. III. P. 2. p. 454. sqq.

H. Libr. VII. c. 45.: „In Divo quoque Augusto, quem universa mortalitas in hac censura nuncupat, si diligenter aestimentur cuncta, magna sortis humanae reperiantur volumina[26]). Repulsa in Magisterio Equitum apud avunculum et contra petitionem ejus praelatus Lepidus, proscriptionis invidia, collegium in Triumviratu pessimorum civium, nec aequa saltem portione, sed praegravi Antonio; Philippensi proelio morbus, fuga et triduo in palude aegroti et (ut fatentur Agrippa et Maecenas) aqua subter cutem fusa turgidi latebra, naufragia Sicula et alia ibi quoque in spelunca occultatio. Jam in navali fuga urgente hostium manu, preces Proculejo mortis admotae, cura Perusinae contentionis, solicitudo Martis Actiaci, Pannonicis bellis ruina e turri, tot seditiones militum, tot ancipites morbi corporis; suspecta Marcelli vota, pudenda Agrippae ablegatio, toties petita insidiis vita, incusatae liberorum mortes luctusque non tantum orbitate tristes, adulterium filiae et consilia parricidae palam facta, contumeliosus privigni Neronis secessus, aliud neptis adulterium, juncta deinde tot mala, inopia stipendii, rebellio Illyrici, servitiorum delectus, juventutis penuria, pestilentia Urbis, fames sitisque Italiae, destinatio exspirandi et quatridui inedia major pars

---

26) Solinus c. 1., hunc Plinii locum exscribens, tanta ait et tot in Augusti vita inveniri adversa, ut non sit facile discernere, calamitosior an beatior fuerit. — Loci Pliniani verba transscripsi ex editione Lipsiensi, quam nuper absolvit *J. Sillígius, V. Cl.* et de illo antiquitatis opere egregie meritus. Quem cum nossem eximiis Codicum subsidiis instructum cum maxime versari in paranda majore eaque critica N. H. editione, rogavi, ut si quid in schedis haberet, quod ad h. l. sive emendationem sive interpretationem pertineret atque affine esset libelli mei argumento et consilio, benevole mecum communicaret. Is pro ea, qua me amplectitur, amicitia brevi post ad me, praeter lectiones Codicis Parisini sive Regii II., Riccardiani et Toletani, de quibus in Praefat. Vol. V. accurate exposuit, etiam duorum locorum emendationes perscripsit perdignas, quas hic, id quod bona venia optimi viri fecerim, proferam. Pro v. *avunculum* habet Cod. Riccard. *avuncularium*, Cod. Paris. *avunculiarum*: „Mirus sane", inquit Silligius, cujus verbis utar, „hic error librariorum videri potest, sed et hic videndum, num ex mala scriptura eaque in compendium redacta extundi possit vera ipsius Plinii manus. Caesar Dictator Augusti fuit *avunculus magnus*, quamquam vulgari scriptorum Romanorum usu *avunculus major* dicitur (Vellej. Paterc. II. 59. Sueton. Aug. 7.), quod hic reponendum credo." Eodem versu pro vulg. *petitionem*, ut habet etiam Cod. Riccard., Silligius ex Codd. Paris. et Tolet. praefert *voluntatem* his usus verbis: „Interpretes haec Plinii verba nondum ad liquidum perduxerunt; videamus, num nobis res melius cedant. Lepidus, postea Triumvir, Magister Equitum dicitur apud Dion. Cass. XLIII. 33. a. U. C. 708., et perquam verisimile est, ipsum Caesarem vel invitum hunc honorem propterea in eum detulisse, quod meminerat, eundem Lepidum paullo ante, ut Caesar dictator diceretur, auctorem fuisse. (Dio Cass. XLI. 36.) Cum Lepido igitur Octavianum Magisterium Equitum apud Caesarem ambiisse, sed a Caesare, qui Lepido aliquid grati faceret, repulsam tum tulisse, eo confidentius conjicere possumus, quod iidem scimus, paullo post illud tempus Caesarem, quum posset, Octavianum Magistrum Equitum fecisse (Dio Cass. XLIII. 51.), ut scilicet hac ratione hujus voluntati satisfaceret. Ita explicanda censeo verba Plinii: *praelatus Lepidus.* Hinc id quoque intelligas, cur ego lectionem *voluntatem* praetulerim, quae Caesaris, non Octaviani est putanda, ad quem si ea vox referretur, *sua* neque *ejus* dicendum erat. Etenim Octavianus petiit, Caesar voluit." Quibus lucem accipiunt ea, quae scripsi anno superiori *de Caes. Augusti Juventute etc. Cap.* I. §. 4. *et* 5.

mortis in corpus recepta. Juxta haec Variana clades et majestatis ejus foeda sugillatio, abdicatio Postumi Agrippae post adoptionem, desiderium post relegationem, inde suspicio in Fabium arcanorumque proditionem, hinc uxoris et Tiberii cogitationes; suprema ejus cura. In summa, Deus ille, caelumque nescio adeptus magis an meritus, herede hostis sui filio excessit." [27]) — Plinius hoc in loco tot et tantarum rerum adversarum vicissitudinem temere, si quid judico, relegat ad crimen Fortunae, quae etsi sua natura rationi et constantiae contraria est, tamen in universum perpetua et prae caeteris constans Augusti fautrix et adjutrix fuisse censenda est. Equidem enim, si non unicam, certe praecipuam caussam illorum malorum non tam temporibus, quibus regnaret, hominibusque, quibuscum viveret, attribuendam esse suspicor, quam ipsius naturae imbecillae atque meticulosae animoque suspicaci et multis simulationum involucris tecto ac velis quibusdam obtento.

Huic de animo moribusque Augusti sententiae nonnihil ponderis addunt dicta ejus, quorum sunt quae vel invitos nos cogant, ut animi ejus sensa dubia et suspecta habeamus. Alia enim singularem humanitatem, benevolentiam animique mollitudinem spirant et mirificum produnt conciliandae promerendaeque hominum gratiae studium, quo dici non potest quam amabilis felixque existat avunculi magni aemulator. At inveniuntur alia, in quibus emicet animus gravitatis imperatoriae, superbiae ac crudelitatis plenus, et deprehendatur manifesta deorum hominumque contemptio ac petulans vitae humanae irrisio. Quo fit, ut animus noster alienetur ab eo refugiatque ab amore ejus et admiratione.

Caeterum Augustus, quantum quidem ex ejus acute ac jocose dictis, ad nostram perlatis notitiam [28]), colligi licet, non videtur fuisse magnopere *ἀποφθεγματικός*, eaque in laude multum etiam Julio Caesari concessisse. Fr. A. Wolfius ad Suetonii Vit. Horatii Vol. III. p. 51. hujus Principis jocos omnino difficiliores esse dicit. Quod judicium tam universe pronuntiatum non magis verum et aequum esse puto, quam illud J. G. Loebellii de Principatu Augusti l. c. p. 246. N. 1. scribentis: *„Geist und treffender Witz leuchtet auch aus seinen Scherzreden hervor."*

---

27) De postrema Augusti senis vita, qua nulla melius docet, quot et quam varios casus et fortunae incursus dare soleat vita regum, praeclare scripsit *H. Ludenius* in *Geschichte des teutschen Volkes.* Libr. II. c. 6. Tom. I. p. 248.: *„Augustus war alt. In den grossen Schicksalen seines Lebens hatten sich die Kräfte seines Geistes aufgerieben. Seit seiner Kindheit von einem wunderbaren Glück emporgetragen, stand er auf einer Höhe, auf welcher ihm, in der Nähe des Todes, der Wechsel menschlicher Dinge dreifach furchtbar erscheinen musste. Nur in diesem Glücke ruhte das Geheimniss seiner Herrschaft, und nur von der Fortdauer dieses Glückes durfte er auf das Vergessen, wie auf das Schweigen der Römer rechnen!"* Caeterum verba Plinii: *caelum nescio adeptus magis an meritus*, satis aperte ostendunt, ipsum scriptorem de Augusto ejusque meritis non nimis honorifice sensisse!

28) Quae ex hoc genere J. A. Fabricius collegit et in postrema opusculi sui parte posuit, ea multo auctiora dedi et hic illic emendatiora, simul cum aliorum tum meis animadversionibus illustrata, quibus me aliquam gratiam apud lectores juvenes initurum esse spero. Quae autem ampliorem indaginem exposcerent indaginem, ea, Excursuum nomine, ad calcem hujus Capitis rejecimus.

I. Plutarchus in Apophthegm. Vol. VI. p. 778. sqq. R.

1. Καῖσαρ, ὁ πρῶτος ἐπικληθεὶς Σεβαστὸς, ἔτι μειράκιον ὢν, Ἀντώνιον ἀπῄτει δισχιλίας πεντακοσίας μυριάδας τοῦ πρώτου Καίσαρος ἀναιρεθέντος, ἐκ τῆς οἰκίας, ἃς πρὸς αὑτὸν ὁ Ἀντώνιος μετήνεγκεν· ἀποδοῦναι Ῥωμαίοις βουλόμενος τὸ καταλειφθὲν ὑπὸ Καίσαρος, ἑκάστῳ δραχμὰς ἑβδομήκοντα πέντε· τοῦ δ' Ἀντωνίου τὰ μὲν χρήματα κατέχοντος, ἐκεῖνον δὲ τῆς ἀπαιτήσεως ἀμελεῖν, εἰ σωφρονεῖ, κελεύοντος, ἐκήρυττε τὰ πατρῷα καὶ ἐπίπρασκε· καὶ τὴν δωρεὰν ἀποδοὺς, εὔνοιαν μὲν αὑτῷ, μῖσος δ' ἐκείνῳ παρὰ τῶν πολιτῶν περιεποίησεν.

2. Ἐπεὶ δὲ Ῥοιμητάλκης, ὁ τῶν Θρᾳκῶν βασιλεὺς, ἀπ' Ἀντωνίου μεταβαλλόμενος πρὸς αὐτὸν, οὐκ ἐμετρίαζε παρὰ τοὺς πότους, ἀλλ' ἦν ἐπαχθὴς, ὀνειδίζων τὴν συμμαχίαν, προπιὼν τινι τῶν ἄλλων βασιλέων ὁ Καῖσαρ εἶπεν· Ἐγὼ προδοσίαν φιλῶ, προδότας δ' οὐκ ἐπαινῶ.

3. Τῶν δ' Ἀλεξανδρέων μετὰ τὴν ἅλωσιν τὰ δεινότατα πείσεσθαι προσδοκώντων, ἀναβὰς

I. Wyttenbachius in Animadvers. in Plutarchi Apophthegm. T. II. pag. 401. ed. Lips. adnotavit, hos locos sumptos esse ex Augusti vita nunc perdita, quam a Plutarcho scriptam fuisse testetur Catalogus Lampriae: v. Cap. I. §. 1. Hi autem loci continent fere notitias ejusmodi, quas cum apud alios rerum Augusti scriptores, tum etiam apud Suetonium frustra quaerimus.

1. Idem factum tangit Plutarchus in Vit. Bruti c. 22., Ciceronis c. 43. et Antonii c. 15. et 16., ubi istam pecuniae summam non abstulisse dicitur Antonius, sed domi suae a Calpurnia depositam habuisse. Sed etiam Dio Cassius Libr. XLV. c. 5. narrat, ab Antonio istas pecunias interceptas fuisse. Calpurniam imprudentem eas Antonio Cos. commisisse, verisimile videtur G. Drumanno in Hist. Rom. Tom. I. p. 85.: „*Durch eine Uebereilung Calpurnias, welcher sein* (des Antonius) *Haus sicherer schien, als das Ihrige, erhielt er auch den Privatschatz Cäsars*, 25 *Millionen Denare, oder in einer runden Summe* 4000 *Talente*“: v. Plutarch. in Vit. Anton. c. 15. M. Antonius non metu, ut opinatur Vellejus Paterc. Libr. II. c. 60. §. 3., sed contemptu superbe excepit Augustum Apollonia reversum, *ὡς μειρακίου καταφρονῶν*, et, teste Plutarcho c. 16., *ἔλεγεν, οὐχ ὑγιαίνειν αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ φρενῶν ἀγαθῶν καὶ φίλων ἔρημον ὄντα φορτίον ἀβάστακτον αἱρεῖσθαι τὴν Καίσαρος διαδοχήν*. v. Cap. I. §. 6. Augustus tum adolescens XIX. annos nondum natus, sed versuti animi artibus excellens quam egregie deceperit Antonium suamque caussam, neglecta adversus parentes pietate, promoverit, fusius enarrat Appianus d. B. Civ. Libr. III. c. 28. sqq.

2. Plutarchus in Vit. Romuli c. 17.: *Οὐ μόνος οὖν, ὡς ἔοικεν, Ἀντίγονος ἔφη προδιδόντας μὲν φιλεῖν, προδεδωκότας δὲ μισεῖν· οὐδὲ Καῖσαρ, εἰπὼν ἐπὶ τοῦ Θρᾳκὸς Ῥυμιτάλκου, φιλεῖν μὲν προδοσίαν, προδότην δὲ μισεῖν.* Intelligendum esse Rhoemetalcem I., Thraciae regem, de quo docte egerit Ruhnkenius ad Vellej. Pat. Libr. II. c. 112. §. 4., monet Wyttenbachius. Nomen ejus exaratum invenitur *Ῥυμετάλκης* et *Ῥοιμητάλκης:* hanc scripturam cum Gronovio Observ. Lib. IV. c. 15. p. 460. Fr. praetulit Ruhnkenius, illam Wyttenbachius; et Sturzius in Dion. Cass. Libr. LIV. c. 20. edidit: *Ῥυμητάλκης*. Ego Ruhnkenii rationem amplectendam duxi, quam confirmant Numi apud Spanhemium de Us. et Pr. N. T. I. p. 126. et Inscriptio apud Orellium C. II. N. 631. Caeterum quod Plutarchus Augusto tribuit dictum Philippi Macedonis esse auctor est Stobaeus in Floril. p. 366. (Vol. II. p. 350. Gaisf.)

3) Eamdem rem, quae accidit mense Sextili a. U. C. 724., referunt Plutarchus in Vit. Antonii c. 81., Dio Cassius Libr. LI. c. 16. et Julianus in Epist. LI. ad Alexandrinos

ἐπὶ τὸ βῆμα, καὶ παραστησάμενος Ἄρειον, τὸν Ἀλεξανδρέα, φείδεσθαί μὲν τῆς πόλεως ἔφη πρῶτον διὰ τὸ μέγεθος καὶ τὸ κάλλος, ἔπειτα διὰ τὸν κτίστην, Ἀλέξανδρον, τρίτον δι' Ἄρειον, τὸν φίλον.

4. Ἀκούσας δὲ, ὅτι Ἔρως, ὁ τὰ ἐν Αἰγύπτῳ διοικῶν, ὄρτυγα τὸν κρατοῦντα πάντων ἐν τῷ μάχεσθαι καὶ ἀήττητον ὄντα πριάμενος, ὀπτήσας κατέφαγε, μετεπέμψατο αὐτὸν καὶ ἀνέκρινεν· ὁμολογήσαντα δὲ ἐκέλευσεν ἱστῷ νηὸς προςηλωθῆναι.

5. Ἐν δὲ Σικελίᾳ Ἄρειον ἀντὶ Θεοδώρου κατέστησε διοικητήν· ἐπιδόντος δέ τινος αὐτῷ βιβλίον, ἐν ᾧ γεγραμμένον ἦν· Φαλακρὸς, ἢ κλέπτης, Θεόδωρος ὁ Ταρσεύς. τί σοι δοκεῖ; ἀναγνοὺς Καῖσαρ ὑπέγραψε· Δοκεῖ.

6. Παρὰ δὲ Μαικῆνα, τοῦ συμβιωτοῦ, καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς γενεθλίοις δῶρον ἐλάμβανε φιάλην.

7. Ἀθηνοδώρῳ δὲ, τῷ φιλοσόφῳ, διὰ γῆρας εἰς οἶκον ἀφεθῆναι δεηθέντι συνεχώρησεν. ἐπεὶ δ' ἀσπασάμενος αὐτὸν ὁ Ἀθηνόδωρος εἶπεν· Ὅταν ὀργισθῇς, Καῖσαρ, μηδὲν εἴπῃς, μηδὲ

---

p. 433. sq. Spanh. et p. 96. ed. Heyl., a quo haec dixisse fertur Augustus: „Ἄνδρες Ἀλεξανδρεῖς, ἀφίημι τὴν πόλιν αἰτίας πάσης, αἰδοῖ τοῦ μεγάλου θεοῦ Σαράπιδος, αὐτοῦ τε ἕνεκα τοῦ δήμου, καὶ τοῦ μεγέθους τῆς πόλεως· αἰτία δέ μοι τρίτη τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας ἐστὶ καὶ ὁ ἑταῖρος Ἄρειος." Quibus Julianus subjicit: ἦν δὲ ὁ Ἄρειος οὗτος πολίτης μὲν ὑμέτερος, Καίσαρος δὲ Σεβαστοῦ συμβιωτὴς, ἀνὴρ φιλόσοφος: de Areo Alexandrino, Augusti magistro, expositum est Cap. I. §. 8.

4. Erotem, a quo tam diras intempestivae gulae poenas sumpsit Augustus, aliunde non cognitum habemus. Celebratur Eros, M. Antonii servus, qui cum Alexandriae ab hero rogatus esset, ut ipsum interficeret, strictum ensem extulit et quasi dominum icturus, semetipsum interemit, auctore Plutarcho in Vit. Anton. c. 77. Ciceroni etiam fuit servus hujus nominis, quem libertate donatum esse refert Plutarchus in Apophthegm. Vol. VI. p. 774. Is fortasse est *Eros Philotimi*, commemoratus in Epist. ad Attic. X. 15. Num idem posthac factus sit procurator Attici, memoratus a Cicerone ad Attic. Libr. VI. 1. XV. 15. et 20., in medio relinquam.

5. *Διοικητὴς*, procurator, in universum alieni juris ac negotii vicarius, sub Imperatoribus dicebatur partim de provinciarum Caesarearum praesidibus, partim de eis, qui reditus fisci in provinciis administrabant: vid. Lipsii Excurs. ad Taciti Ann. Libr. XII. c. 60. cl. Heinrichii et Beieri Adnotatt. ad Cicer. Oratt. Fragm. p. 31. Ejusmodi autem procuratores ab Augusto in omnes suas ac populi provincias missos esse, ex equitibus alios, alios ex libertis, perspicue tradit Dio Cass. Libr. LIII. c. 15. ibiq. v. Fabricius N. 85. Vol. VI. p. 69. Strz. Non potest dubitari quin hic *Theodorus*, quem non memini alias commemorari, pariter libertini generis fuerit atque ille *Eros* ὁ τὰ ἐν Αἰγύπτῳ διοικῶν, quem ob coturnicem devoratam ἱστῷ νηὸς προςηλωθῆναι jussit.

6. Dio Cassius Libr. LI. c. 19. refert, ἔν τε τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ (i. e. Augusti) ἱερομηνίαν a Senatu decretam esse a. U. C. 724. Et inprimis huc spectat locus Suetonii c. 57.: „*Equites Romani natalem ejus sponte atque consensu, biduo semper celebrarunt.*" Jam Maecenas, quem et ipsum angusto clavo contentum vixisse constat, Augusto quotannis in natalitiis dono misit φιάλην, i. e. pateram, qua libari sollemne erat: v. Heindorf. ad Horat. Libr. I. Sat. 6. v. 118. Inter strenas, quas Romani diebus festis sibi invicem missitare solebant, etiam *pateras* memorat Horatius Libr. IV. Od. 8. v. 1.

7. De *Athenodoro* egi Cap. I. §. 8. Illud: σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας κ. τ. λ. mutuatus est Augustus ab Simonide, cujus id esse notat Scholiastes Aristidis ad orat. Plat. II. p. 143. ob-

ποιήσῃς, πρότερον, ἢ τὰ εἴκοσι καὶ τέτταρα γράμματα διελθεῖν πρὸς ἑαυτόν· ἐπιλαβόμενος αὐτοῦ τῆς χειρός· Ἔτι σοῦ παρόντος (ἔφη) χρείαν ἔχω· καὶ κατέσχεν αὐτὸν ὅλον ἐνιαυτὸν, εἰπὼν, ὅτι ἐστὶ καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.

8. *Ἀκούσας δὲ, ὅτι Ἀλέξανδρος δύο καὶ τριάκοντα γεγονὼς ἔτη κατεστραμμένος τὰ πλεῖστα, διηπόρει, τί ποιήσει τὸν λοιπὸν χρόνον, ἐθαύμαζεν, εἰ μὴ μεῖζον Ἀλέξανδρος ἔργον ἡγεῖτο τοῦ κτήσασθαι μεγάλην ἡγεμονίαν, τὸ διατάξαι τὴν ὑπάρχουσαν.*

9. *Γράψας τὸν περὶ τῶν μοιχῶν νόμον, ἐν ᾧ διώρισται, πῶς δεῖ κρίνεσθαι τοὺς ἐν αἰτίαις γενομένους, καὶ πῶς δεῖ κολάζεσθαι τοὺς ἁλόντας, εἶτα προσπεσὼν ὑπ᾽ ὀργῆς τὸν ἐπὶ Ἰουλίᾳ, τῇ θυγατρὶ, διαβεβλημένον νεανίσκον ἔτυπτε ταῖς χερσίν. ἐκείνου δ᾽ ἀναβοῶντος· Νόμον ἔθηκας, ὦ Καῖσαρ· οὕτω μετενόησεν, ὥστε τὴν ἡμέραν ἐκείνην παραιτήσασθαι τὸ δεῖπνον.*

10. *Γάϊον δὲ, τὸν θυγατριδοῦν, εἰς Ἀρμενίαν ἀποστέλλων ᾐτεῖτο παρὰ τῶν θεῶν εὔνοιαν αὐτῷ τὴν Πομπηΐου, τόλμαν δὲ τὴν Ἀλεξάνδρου, τύχην δὲ τὴν ἑαυτοῦ παρακολουθῆσαι.*

11. *Ῥωμαίοις δὲ τῆς ἀρχῆς ἔλεγεν ἀπολείψειν διάδοχον, ὃς οὐδέποτε περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος δὶς ἐβουλεύσατο· Τιβέριον λέγων.*

12. *Θορυβοῦντας δὲ τοὺς ἐν ἀξιώμασι νέους καταστεῖλαι βουλόμενος, ὡς οὐ προσεῖχον, ἀλλ᾽ ἐθορύβουν· Ἀκούσατε, (εἶπεν) νέοι, γέροντος, οὗ νέου γέροντες ἤκουον.*

---

servante Wyttenbachio in Bibl. Critic. Vol. II. P. 1. p. 40., qui id Athenodoro perperam tribui apud Stobaeum Serm. XXX. p. 214. 6. et Maximum Tyr. p. 385. admonuit. Hinc corrigenda Mitscherlichii adnotatio ad Horatii Libr. III. Od. 2. v. 25.: „*Est et fideli tuta silentio Merces:*" quibus verbis Poeta Simonidis dictum proverbii instar celebratum expressit, minime respiciens Augustum. Praeterea laudat Wyttenbachius Inscriptionem apud Lindenbrogium in Var. Quaest. editis a Fabricio Biblioth. Gr. Vol. XIII. p. 600. Adde ea, quae collegit Schneidewinius ad Simonidis Cei Carm. Reliq. N. CVII. p. 112. sq.

8. Haec dubitari nequit quin ab Augusto tum demum dicta sint, quum rerum potitus modestiorem se gerere coeperat. In ejus avunculum longe aliam vim habuerat Alexandri M. memoria ejusque imago Gadibus conspecta, ut prodit Suetonius c. 7. cl. Dion. Cass. Libr. XXXVII. c. 52. ibiq. Intpp. Vol. V. p. 165. Strz.

9. Recte Wyttenbachius *τὸν περὶ τῶν μοιχῶν νόμον* dicit esse *Legem Juliam de adulteriis*, de qua satis sit laudasse Bachium in Hist. Jurispr. Rom. Libr. III. c. 1. sect. 2. §. 2. p. 320. ed. Stockm., additis tamen eis, quae scripsit C. Fr. Ch. Wenckius in Opusc. Acad. p. 233—237.

10. De *Gajo Caesare*, M. Agrippae et Juliae filio, conferas Excurs. I. — Hoc Augusti ea in re optatum reponit Plutarchus de Fortun. Rom. Vol. VII. p. 267. R.: ὁ — *Σεβαστὸς — ἐκπέμπων τὸν θυγατριδοῦν ἐπὶ στρατείαν ηὔξατο τοῖς θεοῖς ἀνδρίαν μὲν αὐτῷ δοῦναι τὴν Σκιπίωνος, εὔνοιαν δὲ τὴν Πομπηΐου, τύχην δὲ τὴν αὐτοῦ.* Julianus in Caesar. p. 28. ed. Heus. idem, pluribus etiam permutatis, repetit, et *τόλμαν — τὴν Καίσαρος* et *δεινότητα — τὴν Πομπηΐου* memorat. Jure Augustus nepoti suo apprecatus est Fortunam suam, qua dea in omnibus, quas susciperet, rebus usus fuerat fautrice et comite fidissima. Hinc lepide apud Julianum Caes. p. 25., diis deliberantibus, cuinam Caesarum primas darent, nonnullisque existimantibus, consilia cujusque in apertum proferenda esse, quandoquidem non aequum esset, ut judicium fieret ex factis, quorum maximam partem sibi vindicare posset fortuna, ea Dea inducitur *πάντων αὐτῶν* (i. e. *Καισάρων*) *καταβοῶσα, πλὴν Ὀκταβιανοῦ μόνου, τοῦτον δὲ εὐγνώμονα πρὸς αὐτὴν εἶναι ἔλεγεν.*

11. Haec qui in laudem *Tiberii* dicta accipiant, vehementer falli, demonstrabo in Excurs. II.

12. Idem dictum Augusti, adnotante Wyttenbachio, repetit Plutarchus de Rep. Seni

13. Τοῦ δ' Ἀθηναίων δήμου ἐξημαρτηκέναι τι δόξαντος, ἔγραψεν ἀπ' Αἰγίνης οἴεσθαι μὴ λανθάνειν αὐτοὺς ὀργιζόμενος. οὐ γὰρ ἂν ἐν Αἰγίνῃ διαχειμάσειν. ἄλλο δ' οὐδὲν οὔτ' εἶπεν αὐτοὺς, οὔτ' ἐποίησε.

14. Τῶν δ' Εὐρυκλέους κατηγόρων ἑνὸς ἀφειδῶς καὶ κατακόρως παῤῥησιαζομένου, καὶ προαχθέντος εἰπεῖν τι τοιοῦτον· Εἰ ταῦτά σοι, Καῖσαρ, οὐ φαίνεται μεγάλα, κέλευσον αὐτὸν

Ger. Vol. IX. p. 136. sq. R.: *Αὐτὸς δὲ τοὺς νέους ἔθεσι καὶ νόμοις αὐστηρῶς σωφρονίζων, ὡς ἐθορύβησαν, Ἀκούσατε, εἶπε, νέοι γέροντος, οὗ νέου γέροντες ἤκουον.* Ex quo loco utcumque firmari potest suspicio, haec accidisse a. U. C. 762., quo anno Augustus jam senex septuagenarius legem de maritandis ordinibus aliquanto severius repeteret nec tamen, auctore Suetonio c. 34., prae tumultu recusantium perferre posset, nisi adempta demum lenitave parte poenarum, et vacatione triennii data, auctisque praemiis. Nam juvenes inprimis aegre tulisse illam legem, credibile est.

13. Wyttenbachius ad h. l.: „Dictum Augusti recte vertit Xylander, *Existimo non vos fallere, me irasci vobis:* et sane *οἴεσθαι se putare*, satis bonum sensum parit, meliorem tamen etiam *βούλεσθαι*, quod dat Harlejanus codex: *Nolo vos ignorare.* Pro *αὐτοὺς* idem et Jun. habent *πρὸς αὐτοὺς*, Voss. *αὐτοῖς*, quorum neutrum requirimus.“ Dubium est, quo tempore Augustus haec ad Athenienses scripserit. Corsinus in Fast. Att. Vol. IV. p. 137. et 144. in duos diversos annos Olymp. 189. 1. h. e. a. U. C. 730. et Olymp. 190. 1. h. e. a. U. C. 734. disjunxit: quam rationem jure improbat Wyttenbachius, qui refert ad a. U. C. 733., quo anno Augustus in Graeciam profectus, Athenienses propter vetus erga M. Antonium et Cleopatram studium Aegina, Eretria aliisque terris illorum munere acceptis mulctaverit, teste Dione Cass. Libr. LIV. c. 7. At huic sententiae quo minus accedam, cum alia obstant, tum maxime hoc, quod, si in illo ipso itinere Augustus Atheniensibus Aeginam et Eretriam ademisset, non video quo pacto Plutarchus scribere potuisset, Augustum Atheniensibus tum nihil male nec fecisse nec dixisse, nisi quod suam illis iram per litteras significasset. Quare equidem malo hujus rei tempus referri ad hiemem pugnae Actiacae proximam i. e. a. U. C. $7\frac{2}{2}\frac{2}{4}$., cujus partem in rebus Graeciae constituendis Augustus transegit: v. Comment. *de Cassio Parmensi* §. 14. p. 257. sq. Jam veri est simillimum, illum partim subiratum Atheniensibus partim sibi caventem ab Antonii amicis ibi congregatis, Athenis mox relictis, in Aeginam se recepisse velut ibi hibernaturum, atque inde istam brevitatis Laconicae epistolam dedisse ad Athenienses, qui fortasse discessum ejus aegre tulissent et conquesti essent. Ita illo tempore Augustus Athenienses neque ullo amplius dicto neque facto violabat, ultione in commodius tempus dilata i. e. in annum U. C. 733. Cum autem rebus urgentibus in Asiam vocaretur et tantum per brevissimum temporis spatium in Aegina commoratus esset; factum esse puto, ut a scriptoribus illud Augusti iter commemorantibus Aeginae nulla facta sit mentio.

14. Wyttenbachius ad h. l. haec scripsit: „Eurycles Lacedaemonius hic est, qui in pugna ad Actium pro Caesare dimicans egregiam operam navavit et Antonium fugientem insecutus est: v. Plutarchus in Vit. Anton. c. 68. Nec diversus videtur esse is, qui apud Herodem Judaeorum regem gratiosus, filios ejus calumniando in capitalem invidiam adduxit, cognitus nobis ex Josepho Antiqu. Jud. Libr. XVI. c. 10. 1., ubi etiam dicitur postea bis e patria Lacedaemone expulsus esse: et Bell. Jud. Libr. I. c. 16. 4.: *δὶς γοῦν ἐπὶ Καίσαρος κατηγορηθεὶς ἐπὶ τῷ στάσεως ἐμπλῆσαι τὴν Ἀχαΐαν καὶ περιδύειν τὰς πόλεις, φυγαδεύεται.* Meminit et Strabo, ut principis Lacedaemoniorum sua aetate, Libr. VIII. c. 5. §. 2. et §. 5.: *Νεωστὶ δ' Εὐρυκλῆς αὐτοὺς ἐτάραξε δόξας ἀποχρήσασθαι τῇ Καίσαρος φιλίᾳ πέρα τοῦ μετρίου πρὸς τὴν ἐπιστασίαν αὐτῶν.* Nec praeteriit eum Meursius de Regno Laced. XXI. p. 96. Igitur in una illarum accusationum, judice Caesare, accusator ex Brasidae posteris ultimus, in Euryclem invehens, ei Brasidae laudes

ἀποδοῦναί μοι Θουκυδίδου τὴν ἑβδόμην. διὸ ὀργισθεὶς ἀπάγειν ἐκέλευσε· πυθόμενος δὲ, ὅτι τῶν ἀπὸ Βρασίδου γεγονότων ὑπόλοιπος οὗτός ἐστι, μετεπέμψατο καὶ μέτρια νουθετήσας ἀπέλυσε.

15. *Πείσωνος δὲ τὴν οἰκίαν ἐκ θεμελίων ἄχρι πάσης στέγης ἐπιμελῶς οἰκοδομοῦντος· Εὔθυμον (ἔφη) με ποιεῖς, οὕτως οἰκοδομῶν, ὡς ἀϊδίου τῆς Ῥώμης ἐσομένης.*

II. Plutarchus in Vit. Cicer. c. 49. Vol. IV. p. 842. R.

Πυνθάνομαι δὲ Καίσαρα χρόνοις πολλοῖς ὕστερον εἰςελθεῖν πρὸς ἕνα τῶν θυγατριδῶν, τὸν δὲ βιβλίον ἔχοντα Κικέρωνος ἐν ταῖς χερσὶν ἐκπλαγέντα τῷ ἱματίῳ περικαλύπτειν· ἰδόντα δὲ Καίσαρα λαβεῖν καὶ διελθεῖν ἑστῶτα μέρος πολὺ τοῦ βιβλίου, πάλιν δ' ἀποδιδόντα τῷ μειρακίῳ φάναι· „Λόγιος ἀνὴρ, ὦ παῖ, λόγιος καὶ φιλόπατρις.“

---

objiciebat. At hae laudes apud Thucydidem consignatae desinunt libro V.“ Plutarchus h. l. aliam secutus est librorum Thucydidis distributionem, de qua, praeter J. A. Fabricii Bibl. Gr. Vol. II. p. 723. H., videatur Poppo in Prolegom. Thucyd. Cap. V. Part. I. Vol. I. p. 74. sqq. — V. ἀποδοῦναι Wyttenbachius accipit *referre, narrare, recitare.*

15. Cum alia indicia desint, Wyttenbachius putat h. l. dici Cn. Calpurnium Pisonem Cos. II. a. U. C. 747. Quem cum Wyttenbachius appellat iterum Consulem, secutus est Indicem Coss. praemissum Dionis Cassii Libro LV. ad a. U. C. 747. Vol. III. p. 330. Strz. Prior ejus consulatus asseritur anno U. C. 731. etiam ab Lipsio et Ernestio ad Taciti Ann. Libr. III. c. 12. At ista sententia quam dubia sit ac controversa, ostendit *Jac. Henr. van Reenen*, Batavus, in Disputat. de Q. Horatii Flacci Epist. ad Pisones Cap. III. p. 89. sq. Neque ego idoneam video caussam, ob quam hunc potissimum Pisonem intellectum velit Wyttenbachius, nulla fere alia re cognitum nisi Hispania ambitiose avareque habita et inimicitia Germanici, quem et veneno sustulisse creditus ideoque apud Senatum reus mortem sibi ipse conscivit a. U. C. 773. v. Tacitus Ann. Libr. III. c. 12 — 16. Laudata illa ab Augusto aedificandi magnificentia vix cuiquam magis convenit, quam L. Calpurnio Pisoni, cujus pater L. Piso Julii Caesaris socer fuerat: v. Lipsius ad Taciti Ann. Libr. VI. c. 10. Consul erat a. U. C. 739., teste Dione Cass. Libr. LIV. c. 21. Legatus Augusti pro Consule praeerat Pamphyliae a. U. C. 742. et cum Bessis, Thraciae populo, atrocissimum gerebat bellum eoque post triennium profligato Asiae et Macedoniae pacem et securitatem restituit a. U. C. 745. In hanc expeditionem exstant Epigrammata Antipatri Thessalonicensis in Anal. Br. Tom. II. p. 97. sqq. cl. Jacobsii Animadv. Vol. II. P. 1. p. 293. sqq. Ob easdem res praeclare gestas ei supplicatio decreta est et triumphales honores, ut praeter alios memoriae prodit Dio Cass. Libr. LIV. c. 34. ibiq. v. Interpp. Vol. VI. p. 139. Strz. Postremo Urbi praefectus est a Tiberio, idque munus summa cum laude administravit ad vitae usque finem: obiit autem octogesimo aetatis anno h. e. anno U. C. 785. v. Dio Cass. Libr. LVIII. c. 19. Tacitus Ann. Libr. VI. c. 11. — Vir fuit singularis ingenii, cujus naturam et mores pulchre depinxit Vellejus Paterc. Libr. II. c. 98. §. 3. et Seneca Epist. 83. §. 12. Etsi nullius servilis sententiae auctor, ut Tacitus Ann. Lib. VI. c. 10. ait, tamen Augusti et Tiberii gratiam per diuturnum retinebat tempus, strenuus in munere obeundo, otiosus autem potui et epulis mirum in modum indulgens, ut Tiberius eum jucundissimum et omnium horarum amicum esse profiteretur, teste Suetonio c. 42. Huic quoque Pisoni ejusque filiis inscripsit Horatius epistolam de Arte Poetica, si Porphyrioni Scholiastae fides est, quam amplectitur Drumannus in Hist. Roman. Tom. II. p. 80. sq.

II. H. l. λόγιος non tam *doctum, peritum* significat quam *disertum, eloquentem*: de q. v. vid. Creuzerus in libr.: *Histor. Kunst der Griechen* p. 173. sq. et 176. sq. Verte: *Eloquens hic*

III. Plutarchus in Comp. Dion. c. Brut. Vol. V. p. 445. R.

Ἕστηκε δὲ χαλκοῦς ἀνδριὰς (Bruti) *ἐν Μεδιολάνῳ τῆς ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίας. Τοῦτον ὕστερον ἰδὼν Καῖσαρ εἰκονικὸν ὄντα καὶ χαριέντως εἰργασμένον παρῆλθεν· εἶτ' ἐπιστὰς μετὰ μικρὸν ἀκροωμένων πολλῶν τοὺς ἄρχοντας ἐκάλει φάσκων ἔκσπονδον αὐτῶν τὴν πόλιν εἰληφέναι πολέμιον ἔχουσαν παρ' αὐτῇ. Τὸ μὲν οὖν πρῶτον, ὡς εἰκός, ἠρνοῦντο καὶ τίνα λέγοι διαποροῦντες εἰς ἀλλήλους ἀπέβλεψαν· ὡς δ' ἐπιστρέψας ὁ Καῖσαρ πρὸς τὸν ἀνδριάντα καὶ συναγαγὼν τὸ πρόσωπον „Ἀλλ' οὐχ οὗτος" ἔφη „πολέμιος ὢν ἡμέτερος ἐνταῦθα ἕστηκεν;" ἔτι μᾶλλον καταπλαγέντες ἐσιώπησαν. Ὁ δὲ μειδιάσας ἐπῄνεσέ τε τοὺς Γαλάτας ὡς τοῖς φίλοις καὶ παρὰ τὰς τύχας βεβαίους ὄντας καὶ τὸν ἀνδριάντα κατὰ χώραν μένειν ἐκέλευσεν.*

IV. Plutarchus in Vit. Pericl. cap. 1. Vol. I. p. 586. R.

Ξένους τινὰς ἐν Ῥώμῃ πλουσίους κυνῶν τέκνα καὶ πιθήκων ἐν τοῖς κόλποις περιφέροντας καὶ ἀγαπῶντας ἰδὼν ὁ Καῖσαρ, ὡς ἔοικεν, ἠρώτησεν, εἰ παιδία παρ' αὐτοῖς οὐ τίκτουσιν αἱ γυναῖκες, ἡγεμονικῶς σφόδρα νουθετήσας τοὺς τὸ φύσει φιλητικὸν ἐν ἡμῖν καὶ φιλόστοργον εἰς θηρία καταναλίσκοντας ἀνθρώποις ὀφειλόμενον.

V. Suetonius in August. c. 13.

Inita cum Antonio et Lepido societate, Philippense quoque bellum, quamquam invalidus atque aeger, duplici proelio transegit: quorum priore castris

---

vir fuit, mi fili, eloquens et patriae amans: quibus verbis Augustus indicat, libri illius Ciceroniani lectionem nepoti suo et ad eloquentiae et ad virtutis studium fructuosam fore. Hujuscemodi dictis factisque voluisse Augustum oblitterare apud posteros memoriam perfidiae, qua Ciceronem, rerum quondam suarum columen, subvertisset, mihi persuasum est; num vero ejus facti eum umquam poenituerit, subdubito. Nam de hujus interitu jam prius cogitasse eum, quam, deserta optimatium caussa, societatem cum Antonio et Lepido iniret, mihi videor non temere colligere ex eo, quod cum occupaturus Consulatum Romam cum exercitu venisset, et, nobilibus ad eum salutandum concurrentibus, etiam Cicero ad colloquium admissus multis verbis praedicaret, quanto studio ipse in senatu de Consulatu ei conferendo egisset, viro consulari tantum respondit *ἐπισκώπτων, ὅτι τῶν φίλων αὐτῷ τελευταῖος ἐντυγχάνοι*, ut refert Appianus de B. C. Libr. III. c. 92. Quorum verborum ambiguitas et sententia nos quidem latere nequit!

III. Si quid in scriptorum caeterorum ea de re silentio statui licet, eam accidisse puto per annos U. C. 738 — 740., quibus Augustus Roma absens rebus Hispaniae, Germaniae et Galliae constituendis intentus multasque regiones et urbes obiens fortasse etiam Mediolanum pervenisset. Quidquid ejus suspicionis est, id, si memineris, quam crudeliter, auctore Suetonio c. 12., in Nursinos consultum fuerit, in confesso erit, Augustum, oppressa demum M. Bruti et Cassii factione, tanta, quanta Mediolani cives tractaverit, clementia uti coepisse.

IV. Hunc Plutarchi locum non multum abest quin accipiam de C. Julio Caesare, cujus ingenio animoque *φιλοστόργῳ* illud dictum multo accommodatius esse puto. J. A. Fabricius sine haesitatione Augusto adscripsit, quocum facit Car. Sintenis, Plutarch. Pericl. editor (Lips. 1835.) p. 53. Certe nemini, qui Augustum noverit, dubium erit, quin ista *ἡγεμονικὴ σφόδρα νουθέτησις* non nisi ab Imperatore potuerit proficisci severo et humano, qualem se gerere coepit a. U. C. 726. Caeterum catellos Melitenses simiosque etiam feminis Romanis in deliciis fuisse, ostendit Boettigerus in Sabina p. 216. et 314.

V. M. Antonius, ut Suetonius c. 10. tradit, Augustum scripserat proelio apud Mutinam

exutus vix ad Antonii cornu fuga evaserat. Nec successum victoriae moderatus est; sed capite Bruti Romam misso, ut statuae Caesaris subjiceretur, in splendidissimum quemque captivum non sine verborum contumelia saeviit: ut quidem uni suppliciter sepulturam precanti respondisse dicatur: *Jam istam in volucrum fore potestatem:* alios, patrem et filium, pro vita rogantes, sortiri vel micare jussisse, ut alterutri concederetur; ac spectásse utrumque morientem, quum patre, quia se obtulerat, occiso, filius quoque voluntariam occubuisset necem.

VI. Suetonius ibid. c. 15.

Perusia capta, in plurimos animadvertit: orare veniam vel excusare se conantibus una voce occurrens: *Moriendum esse.* Scribunt quidam, trecentos

---

priore fugisse ac sine paludamento equoque post biduum demum apparuisse. Non dubito, fore, qui haec cum Drumanno in Histor. Rom. Tom. I. p. 300. ex mutua calumniandi criminandique lubidine repetant, eaque si non conficta, certe invidiose aucta esse dicant. At mirum quemvis habeat necesse est, quod etiam apud Philippos priore proelio castris exutus vix ad Antonii cornu fuga evaserat. Transegit quidem bellum Philippense invalidus atque aeger: nam aqua subter cutem fusa turgidus aegrotabat, ut Plinius N. H. Libr. VII. c. 45., Agrippa et Maecenate auctoribus, videlicet amicis illius Principis, memoriae prodit. Neque tamen morbus iste obstitit, quo minus, victoria per Antonium collegam, consilio promptum et manu fortem, reportata, in splendidissimum quemque captivum non sine verborum contumelia saeviret. Sic Augustus ad summum imperium acerbitatem naturae adjunxit, quo nihil deformius esse scripsit Cicero ad Q. Fr. Libr. I. Ep. 1. §. 80. Conferatur Drumannus in Histor. Rom. Tom. I. p. 385., qui Antonii et Augusti rationem agendi apud Philippos vere ac candide descripsit. — Ego Oudendorpium secutus, praeeunte Paldamo, h. l. edidi: *in volucrum fore potestatem*, cum v. *istam* referri debeat ad v. *sepulturam.* Qui Cod. Memmian. auctoritate adducti praepositionem *in* omittunt, eis vereor ut satis faveat sermonis Latini consuetudo. Certe loci a Bremio ad h. l. et a Ruhnkenio ad Terent. Heaut. IV. 3. 42. allati non probant, Latine dici posse: *sepulturam fore volucrum potestatem.* Mihi persuasum est, Augustum, cui obversarentur illa Homerica ex Iliad. Libr. I. v. 4.: *αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν Οἰωνοῖσί τε πᾶσι*, respondisse: *sepulturam fore in volucrum potestatem:* cujus locutionis rationem praeter eos, quos Paldamus nominat, copiose explicavit Kritzius ad Sallust. Jug. c. 112. §. 3. p. 598. sqq. — Alios, patrem et filium, pro vita rogantes refer ad Aquilios Floros, de quibus hoc narrat Dio Cass. Libr. LI. c. 2. post pugnam Actiacam: cf. Drumannus in Histor. Rom. Tom. I. p. 485. Ob hunc scriptorum dissensum *P. C. Levesque* in *Krit. Gesch. d. Roem. Republ. üb. v. Braun.* (*Zeitz* 1810.) Tom. III. p. 219. totam rem temere in dubium vocat et Suetonium, cujus potior habenda est auctoritas, injuria malevolentiae in Augustum insimulat.

VI. Julius Caesar in acie Pharsalica, ut auctor est Suetonius c. 75., proclamaverat, ut civibus parceretur; at sororis nepos non tantum Perusinis veniam orare seque excusare conantibus saeva voce occurrens occlamitavit: *moriendum esse*, sed ex dediticiis etiam Romanis trecentos sive, ut narrat Dio Cass. Libr. XLVIII. c. 14., quadringentos senatorii et equestris ordinis ad aram avunculo suo exstructam hostiarum more mactavit. Hujus saevitiae cum serius ipsum puderet, in Commentariis de Vita sua scriptum haud dubie reliquit, non sua voluntate, sed militum ira tantopere saevitum esse. Ex illis Commentariis sua hausit Appianus d. B. C. Libr. V. c. 48. sq., ut acute conjecit Schweighäuserus Vol. III. p. 868., atque eadem ratione illius facti foeditatem ab Augusto amolitur gentis Juliae adulator, Vellejus Paterculus Libr. II. c. 74. §. 4., sed frustra, ut confitetur Loebellius de Princip. Aug. l. c.

ex dediticiis electos, utriusque ordinis, ad aram D. Julio exstructam Idibus Martiis hostiarum more mactatos.

VII. Suetonius c. 16.

Bellum Siculum inchoavit in primis, sed diu traxit, intermissum saepius: modo reparandarum classium causa, quas tempestatibus duplici naufragio, et quidem per aestatem, amiserat: modo pace facta, flagitante populo, ob interclusos commeatus famemque ingravescentem: donec navibus ex integro fabricatis, ac viginti servorum millibus manumissis, et ad remum datis, portum Julium apud Bajas, immisso in Lucrinum et Avernum lacum mari, effecit. In

---

p. 233. — Aram Divi Julii vulgo Interpretes intelligunt eam, quam in foro ἐν τῷ τῆς πυρᾶς χωρίῳ exstructam narrant Dio Cass. Libr. XLIV. c. 51. et Appianus d. B. Civ. Libr. II. c. 148. Illam aram exstruxerat iste medicus equarius nomine Herophilus sive Amatius, qui se C. Marii nepotem esse mentiebatur: v. Appianus d. B. C. Libr. III. c. 2. ibiq. Schweigh. et Franc. Fabricius in Ciceronis Vit. ad an. U. C. 709. p. 95. ed. Orell. cl. Drumanni Histor. Rom. Tom. I. p. 107. Hoc Pseudomario Antonii Cos. jussu in vincula conjecto jugulatoque, credibile est, aram quoque illam eversam esse. In ejus loco videtur sive ab Antonio sive, ut Suetonius in J. Caes. c. 85. tradit, a plebe erecta esse solida columna illa prope viginti pedum lapidis Numidici, quam significat Cicero Phil. II. c. 41.: *quum illud, quod tu venerari solebas, bustum in foro evertit:* ibiq. vid. Intpp. Tom. I. p. 606. W. Everterat exsecratam hanc columnam Dolabella Cos., cujus magnam ἀριστείαν et ἀναθεώρησιν eo nomine effert Cicero ad Atticum Libr. XIV. ep. 16. Wolfius eam a plebe restitutam esse suspicatur, ut explicet Suetonii vv. *longo tempore*, quae rectius interpretati sunt Paldamus et Drumannus in Hist. Rom. Tom. I. p. 131. N. 78. Wolfii suspicio vanissima est. Jam cum trecenti illi ex dediticiis electi utriusque ordinis Romani neque ad aram istam in foro neque ad columnam mactari potuerint; Drumannus in Hist. Rom. p. 412., totam quidem narrationem suspectans, statuit, illos Romae in foro caesos esse juxta illud sacellum, ἡρῷον, quod Triumviri, Romam ingressi, Julio Caesari ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐν τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ ἐκέκαντο, exstruere instituissent, teste Dione Cass. Libr. XLVII. c. 18. ibiq. v. Intpp. Vol. V. p. 518. Strz. At neque a Suetonio neque a Dione Cassio *sacellum* commemoratur, sed *ara* Divo Julio exstructa, neo quisquam scriptorum veterum refert captivos illos Romam traductos ibique mactatos esse. Atque, cruenta ista caedes si Romae peracta esset, non video, quo jure eam Seneca de Clement. c. 11. significare potuisset verbis: „*aras Perusinas*". Appianus, quem ea in re Augusti Commentarios secutum esse vidimus, de B. C. Libro V. c. 49. perspicue narrat, postero die, quam Perusia Cestii insano consilio conflagrasset, adductos esse nobiles omnes et ab Augusto veniam accepisse, sed milites contra quosdam tumultuari non desiisse, donec interfecti essent. Ergo occisi illi sunt apud Perusiam. Quae cum ita sint, in eam deductus sum opinionem, ut ab Augusto aram caespiticiam Divo Julio Caesari eo consilio in castris prope Perusiam exstructam esse statuam, ut ad eam Idubus, quae instabant, Martiis avunculi Manes placaret illis tamquam victimis crudeliter trucidatis. Quos etsi suae potius irae mactavit, tamen et hic pietatem erga parentem obtentui sumpsit ac sceleri honestum nomen praetexuit. Hac disputatione simul efficitur et patefit, Perusiam pridie Idus Martias a. U. C. 714. incendio deletam esse.

VII. De bello Siculo agam Cap. III. 2. — M. Agrippae consilio portum Bajanum inter Puteolos et Bajas commodiorem et tutiorem Augustus a. U. C. 717. ita reddidit, ut lacum Lucrinum, interjecto aggere a mari seclusum, cum vicino lacu Averno conjungeret: quo facto tutus navibus factus receptus novusque apertus est portus *Julius* dictus, quem describit Dio

quo quum hieme tota copias exercuisset, Pompejum inter Mylas et Naulochum superavit: sub horam pugnae tam arto repente somno devinctus, ut ad dandum signum ab amicis excitaretur. Unde praebitam Antonio materiam putem exprobrandi, Ne rectis quidem oculis eum adspicere potuisse instructam aciem: verum supinum, coelum intuentem, stupidum cubuisse: nec prius surrexisse, ac militibus in conspectum fuisse, quam a M. Agrippa fugatae sint hostium naves. Alii dictum factumque ejus criminantur, quasi, classibus tempestate perditis, exclamaverit, *Etiam invito Neptuno victoriam se adepturum*; ac die Circensium proximo sollemni pompae simulacrum dei detraxerit.

VIII. Suetonius c. 18.

Per idem tempus, conditorium et corpus Magni Alexandri, quum prolatum e penetrali subjecisset oculis, corona aurea imposita ac floribus adspersis veneratus est: consultusque, num et Ptolemaeium inspicere vellet, *Regem se voluisse*, ait, *videre, non mortuos.*

Cass. Libr. XLVIII. c. 50. et de quo pulchre Virgilius Georg. Libr. II. v. 161.: „*An memorem portus, Lucrinoque addita claustra, Atque indignatum magnis stridoribus aequor, Julia qua ponto longe sonat unda refuso, Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?*" Vid. J. H. Vossius ad h. l. p. 334. sq. In hoc portu cum Augustus copias tota hieme a. U. C. $7\frac{1}{1}\frac{7}{8}$. exercuisset, Sext. Pompejum non tam ipse quam Agrippa primum inter Mylas et Naulochum, deinde prope Artemisium devicit a. U. C. 718. Cf. Appianus de B. C. Libr. V. c. 106. sq. et c. 119. sq. ac Dio Cass. Libr. XLIX. c. 3., 4. et 9. — Supinam in illo discrimine somnolentiam Augusto haud dubie M. Antonius exprobraverat in epistolis Alexandria missis, ex quibus multa hausit Suetonius: v. Comment. *de Cassio Parmensi* §. 16. p. 284. sq. — Istud impie dictum in Neptunum referri potest ad tempus, quo, Agrippa apud Mylas vincente, ipse Augustus apud Tauromenium magna clade affectus fuerat. Ac victori posthac tam superbo conveniebat tanta die Circensium in Neptunum insolentia, ob quam Julianus in Caesar. p. 21. ed. Heus. lepide finxit, Augusto caussam dicturo, clepsydrae parcius aquam affusam esse a Neptuni puero.

VIII. Ego fidenter recepi felicissimam Oudendorpii conjecturam *Ptolemaeium* h. e. *Πτολεμαιεῖον*, propositam etiam a Berneccero ad h. l. et probatam a Freinshemio in Ind. Flori s. v. *Mausoleum.* Torrentius, qui ob verba Zonarae Libr. X. c. 11. *Πτολεμαίων σώματα* legebat *Ptolemaeûm*, non magis verum vidit quam qui *Ptolemaeum* legunt, et Lagi aut Auletae filium intelligunt. Dio Cass. Libr. LI. c. 16.: *καὶ μετὰ ταῦτα τὸ μὲν τοῦ Ἀλεξάνδρου σῶμα εἶδε, καὶ αὐτοῦ καὶ προσήψατο, ὥστε τι τῆς ῥινὸς, ὥς φασι, θρανσθῆναι· τὰ δὲ δὴ τῶν Πτολεμαίων — οὐκ ἐθεάσατο.* Qui locus quamvis patrocinetur emendationi Torrentianae, quam ideo amplexus est Fabricius ad h. l. N. 106. Vol. VI. p. 16. Strz., tamen non puto eam ferendam esse. Suetonius, perspicuitatis studiosissimus, dubitari non potest quin vitandae ambiguitatis gratia scripsisset *Ptolemaeorum* sc. conditoria, *λάρνακας, θήκας*, minime *Ptolemaeûm.* Praeterea hujus nominis corruptela inde orta, quod non alibi legitur et memoratur *Πτολεμαιεῖον* i. e. Ptolemaeorum sepulcrum sive *conditorium, Grabmal*, quo significatu h. v. occurrit ap. Plin. Epist. Libr. VI. 10. §. 5., Petron. c. 111. et 112. itemque ap. Orell. Inscript. N. 2473. Pari modo depravatum est *Ἀντωνινεῖον* ap. Dion. Cass. Libr. LXXVI. c. 15. et LXXVIII. c. 9. Caeterum hoc Augusti dictum quamvis acutum, tamen arrogantiae et superbiae plenum est, cum Ptolemaeos *πορφυρογεννήτους* communi mortuorum vulgo accensendos et unum Alexandrum in regum loco ac numero ponendum declaraverit ipse vix tres et triginta annos natus neque dum ullis in civitatem litterasve meritis aequiparandus Ptolemaeis!

IX. Suetonius c. 33.

Ipse jus dixit assidue, et in noctem nonnunquam: si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem jus non diligentia modo summa, sed et lenitate: siquidem manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quod non nisi confessi afficiuntur hac poena, ita fertur interrogasse: *Certe patrem tuum non occidisti?*

X. Suetonius c. 51.

Quadam vero cognitione, quum Aemilio Aeliano Cordubensi inter cetera crimina vel maxime objiceretur, quod male opinari de Caesare soleret, conver-

---

IX. De jurisdictione sub Caesaribus disseruit J. A. Ernestius in Excurs. ad Suetonii Jul. Caes. c. 43. et h. l. jurisdictionis nomine cognitiones comprehendi docuit. Singularis Augusti in jure dicundo assiduitas designatur vv. *in noctem* sive *δείλην ὀψίαν*, seram vesperam, ubi accensis luminibus opus est: nam *Sol occasus suprema tempestas esto*, ut in XII. Tabulis scriptum erat, teste Censorino de D. N. c. 24. cf. Dirksen in *Uebers. d. Zwölf-Tafel-Fragment.* Cap. V. p. 180. sq. Caeterum, quae Suetonius h. l. memoriae prodit, ea videntur Chr. G. Hauboldo in Opusc. Acad. Vol. I. p. 200. magis de tempore Consulatus (— Triumviratus? —) quam de perpetua Augusti consuetudine accipienda esse. Utcumque est, voluit etiam ea in re aequare laudem avunculi magni: v. Suetonius Jul. Caes. c. 43. — Lectionem Cod. Medic. tertii et Politiani *manifestum* pro *manifesti* probarem, si v. *reum* abesset: v. Kritzius ad Sallust. Catil. c. 52. §. 36. Quae hic memoratur parricidii poena, eam fuerunt qui jam definitam existimarent in XII. Tabulis, sed injuria, ut docuit Dirksen libr. c. Cap. XIII. p. 453. sq. Lex Pompeja de parricidiis a. U. C. 699. sive 702. lata praescripsit, ut non nisi confessis illa poena irrogaretur: v. Bach. Hist. Jur. Rom. Libr. II. c. 2. §. 86. p. 188. sq. Jam ut ille confessionem parricidii posset effugere, scite Augustus interrogabat: *Certe* h. e. nonne verum est, te non occidisse patrem? v. Handii Tursellin. Tom. II. p. 22. Eam Augusti in jure dicundo lenitatem, cujus laudem restringi debere infra N. XLI. videbimus, ipse Nero aemulatus, quum, auctore Suetonio c. 10., de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur: *Quam vellem*, inquit, *nescire litteras!*

X. *Opinari* de aliquo significat sentire, judicare, idque eloqui, dictis prodere: v. Bremius ad Sueton. J. Caes. c. 86.; ergo *male opinari* i. q. *λοιδορεῖν*. Suetonius in Calig. c. 27.: „*Nec omnes gravibus ex caussis, verum male de suo munere opinatos*"; et in Aug. c. 67.: „*Servum gravissime de se opinantem non ultra quam compedibus coercuit.*" Similiter *male existimare:* v. infr. N. XXVII. 16. Aeliano igitur Cordubensi objiciebatur, male locutum eum esse de Augusto, qui tum vel memor Maecenatis sobrie eum admonentis apud Dionem Cass. Libr. LII. c. 31. *τὸ γὰρ, ὅτι τις ἐλοιδόρησέ σε, ἢ καὶ ἕτερόν τι ἀνεπιτήδειον εἶπε, μήτε ἀκούσῃς ποτὲ κατηγοροῦντός τινος, μήτε ἐπεξέλθῃς*, vel pro sua animi lubidine istius convicia prudenter tulit et apte reposuit, se quoque *linguam habere.* De h. l. C. Passovius in Vit. Q. Horatii Flacci p. CXIII. N. 256. haec scripsit: „*Als characteristisch darf die Toleranz des Augustus gegen die Beleidigungen des Aemilius Aelianus gelten, worin um so weniger eine vorübergehende gute Laune, sondern Grundsatz (?) sich ausspricht, da der erzürnte Tiberius noch im Briefe von dem Regenten darauf verwiesen werden muss, um welchen Punkt es sich für den Römischen Alleinherrscher der Zeit handele:* satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit. *Dasselbe bestätigen manche andere Urtheile und Aussprüche des Augustus, welche der mimus vitae commode transigendus ihm vorschreibt, um sich das Ansehn der Mässigung und Gerechtigkeit zu geben.*"

sus ad accusatorem, commotoque similis, *Velim*, inquit, *hoc mihi probes: faciam, sciat Aelianus, et me linguam habere: plura enim de eo loquar.* Nec quidquam ultra aut statim aut postea inquisivit.

XI. Suetonius c. 56.

Amicos ita magnos et potentes in civitate esse voluit, ut tamen pari jure essent, quo ceteri, legibusque judiciariis aeque tenerentur. Quum Asprenas Nonius, artius ei junctus, caussam veneficii accusante Cassio Severo diceret: consuluit Senatum, quid officii sui putaret: *Cunctari enim se, ne, si superesset, eriperet legibus reum: sin deesset, destituere ac praedamnare amicum existimaretur.* Et, consentientibus universis, sedit in subselliis per aliquot horas: verum tacitus, ac ne laudatione quidem judiciali data.

XII. Suetonius c. 66.

Amicitias neque facile admisit, et constantissime retinuit: non tantum virtutes ac merita cujusque digne prosecutus, sed vitia quoque et delicta, duntaxat modica, perpessus. Neque enim temere ex omni numero in amicitia ejus afflicti reperientur, praeter Salvidienum Rufum, quem ad consulatum usque, et Cornelium Gallum, quem ad praefecturam Aegypti, ex infima utrumque fortuna,

---

XI. De *Cassio Severo* oratore et de *C. Nonio Asprenate* exposui in Comment. *de Cassio Parmensi* §. 4. p. 190. sqq. ibique ostendi, illud, quod Suetonius h. l. memoret, accidisse a. U. C. 745. In dicto Augusti *superesse*, quod h. l. verbo *deesse* opponitur, significat, advocatum esse cuipiam ejusque caussam defendere: quam tamen significationem Gellius N. A. Libr. I. c. 22. falsam et alienam habet. De locutione *eripere reum* Oudendorpius conferri jubet Graevium ad Flori Libr. I. c. 3. §. 5. et Drakenb. ad Livii Libr. II. c. 54. §. 7.

XII. De *Q. Salvidieno Rufo* et *C. Cornelio Gallo* accurate exponam in Excurs. III. — *M. Vipsanius Agrippa*, vir ingentis animi, qui solus ex his, quos civilia bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit, dicere solebat, multum se huic debere sententiae: „Nam concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur.“ Hac se ajebat et fratrem et amicum optimum factum, ut auctor est Seneca Epist. 94. §. 46. Idem appellatur a Vellejo Pat. Libr. II. c. 79. §. 1. vir virtutis nobilissimae, labore, vigilia, periculo invictus, parendique, sed uni, scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, et per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens. Adde, quae non sine studio quodam et amore ejus scripsit Dio Cass. Libr. LIV. c. 29. et inprimis C. Passovius de Vit. Q. Horatii Fl. N. 244. Agrippam illum si legimus *patientiam* in se desiderari passum esse offensumque nimio Augusti in Marcellum amore, non est quod succenseamus viro tam egregie de illius rebus merito: cf. Dio Cass. Libr. LIII. c. 23. Caeterum recepi Lipsii ad Vellej. Pat. Libr. II. c. 83. conjecturam *frigoris* pro vulg. *rigoris*, probatam illam Wolfio et Bremio et praeclare defensam a Paldamo, qui de ipso verbo laudat Ruhnkenium ad Terentii Eur. II. 2. v. 37. Jam ipse Ruhnkenius in Scholiis in Sueton. Vit. Caes. de hoc loco ita disputat p. 181.: „Rectissime viri docti emendant *frigoris*. Nam ut vigens amicitia et gratia *calori*, sic remissa et imminuta *frigori* comparatur. Horat. II. Serm. 1. 60. *majorum ne quis amicus Frigore te feriat*, i. e. gratiam tuam exstinguat. Seneca Ep. 123. (Ep. 122. §. 11.) *Montanus et amicitia Tiberii notus, et frigore.* Sic in L. 32. §. 12. D. de donat. inter vir. et ux. *frigusculum* est remissus amor et distensio

provexerat. Quorum alterum, res novas molientem, damnandum Senatui tradidit: alteri, ob ingratum et malevolum animum, domo et provinciis suis interdixit. Sed Gallo quoque et accusatorum denunciationibus et Senatus consultis ad necem compulso, laudavit quidem pietatem tanto opere pro se indignantium; ceterum et illacrimavit et vicem suam conquestus est, *quod sibi soli non liceret amicis, quatenus vellet, irasci.* Reliqui potentia atque opibus ad finem vitae sui cujusque ordinis principes floruerunt, quanquam et offensis intervenientibus. Desideravit enim nonnunquam, ne de pluribus referam, et M. Agrippae patientiam, et Maecenatis taciturnitatem, quum ille ex levi frigoris suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mytilenas se, relictis omnibus, contulisset: hic secretum de comperta Murenae conjuratione uxori Terentiae prodidisset.

XIII. Seneca de Ira Lib. III. c. 23.

Timagenes, historiarum scriptor, quaedam in ipsum, quaedam in uxorem ejus, et in totam domum dixerat, nec perdiderat dicta; magis enim circumfertur, et in ore hominum est, temeraria urbanitas. Saepe illum Caesar monuit, ut moderatius lingua uteretur: perseveranti domo sua interdixit. Postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinii consenuit, ac tota civitate direptus est: nullum illi limen praeclusa Caesaris domus abstulit. Historias postea quas scripserat, recitavit, et combussit, et libros acta Caesaris Augusti continentes in ignem posuit. Inimicitias gessit cum Caesare; nemo amicitiam ejus extimuit, nemo quasi fulgure ictum refugit: fuit qui praeberet tam alte cadenti sinum. Tulit hoc, ut dixi, Caesar patienter, ne eo quidem motus, quod laudibus suis rebusque gestis manus attulerat. Nunquam cum hospite inimici sui questus est: hoc dumtaxat Pollioni Asinio dixit, θηριοτροφεῖς. Paranti deinde excusationem obstitit, et, „*fruere,*“ inquit, „*mi Pollio, fruere!*“ Et quum Pollio diceret: Si jubes, Caesar, statim illi domo mea interdicam, „*hoc me,*“ inquit, „*putas facturum, quum ego vos in gratiam reduxerim?*“

---

inter virum et uxorem. v. Duker. de Lat. vet. Ict. p. 405.“ Adde Ciceron. ad Diversos Libr. X. Ep. 16., ubi de Planci litteris: „Redditae sunt frequenti Senatu Cornuto, quum is *frigidas* sane et inconstantes recitasset litteras Lepidi.“ Suetonius procul dubio haec sumpsit ex Augusti Commentariis, in quibus ex levi frigoris suspicione repetitum esset istud amicorum dissidium, ut excusaretur *pudenda Agrippae ablegatio* (Plin. N. H. Libr. VII. c. 45.) et *Mytilenense secretum* (Tacit. Ann. Libr. XIV. c. 53.). Verum enim vero Augustus, potentiae per amicos adeptae securus, non videtur satis cavisse, ne amicitiae pristinae dissuerentur. Nam Maecenatem quoque aetate provecta speciem magis in amicitia Principis, quam vim tenuisse, auctor est Tacitus Ann. Libr. III. c. 30.

XIII. Hunc Senecae locum illustravi in Comment. *de Iarbita, Timagenis Aemulatore* §. 2. *in Poet. Lat. Rel.* p. 393. sqq. Lectionem omn. Codd. *direptus est,* quam, male tentatam ab aliis, docte defendit Ruhkopfius Vol. I. p. 131., illustrat locus Suetonii in Vit. Persii s. fin.: „*Editum librum continuo mirari homines et diripere coeperunt.*“ Caeterum hoc quoque factum esse putabimus, cum prudentiae esset, clementem ac civilem se gerere et injuriarum negligentem, ergo post a. U. C. 726.

XIV. Suetonius in August. c. 40.

Servos non contentus multis difficultatibus a libertate, et multo pluribus a libertate justa removisse: quum et de numero et de conditione ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiose cavisset; hoc quoque adjecit, ne vinctus unquam tortusve quis ullo libertatis genere civitatem adipisceretur. Etiam habitum vestitumque pristinum reducere studuit. Ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus et clamitans, *En*

Romanos, rerum dominos, gentemque togatam!

negotium Aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circave, nisi positis lacernis, togatum consistere.

XV. Suetonius c. 42.

Sed ut salubrem magis quam ambitiosum Principem scires, querentem de inopia et caritate vini populum severissima coërcuit voce: *Satis provisum a genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent.* Eidem

---

XIV. Manumissionum licentiam coercuit Augustus legibus *Aelia Sentia* a. U. C. 756. et *Furia Caninia*, quam latam esse suspicatur Bachius in Histor. Jurispr. Rom. Libr. III. c. 1. §. 6. p. 323. a. U. C. 761. Utriusque legis capita recenset, post Heineccium Antiq. Rom. Jurispr. Libr. I. Tit. VI. et VII. p. 97. sqq., Albr. Schweppe in *Roem. Rechtsg. u. Rechtsalterth.* §. 356. et §. 501. a. — Baumgarten-Crusius vv. *habitum vestitumque* recte ita distinguit, ut *vestitus* pars sit *habitus*, qui ad totum corpus pertinet et modum significat, illud habendi, non vestibus modo, earumque colore vel forma conspicuum. Nos dicimus: *Tracht und Kleidung.* Cf. Ramshorn. Synonym. Tom. II. N. 642. — *Pullatorum turba* i. q. ap. Quintil. I. Or. Libr. VI. 4. §. 6. *pullata turba*, et Libr. II. 12. §. 10. *pullatus circulus* sc. audientium ex plebe infima, cujus vestes, togae et tunicae, essent *pullae* h. e. sordidae et obsoleti coloris. Hinc ap. eumdem Libr. V. 10. §. 71.: *Non possum togam praetextam sperare, cum exordium pullum videam:* ubi v. Intpp. Plebs Romana, depositis plerumque togis, tunicis sordidis vel lacernis induta incedebat. In eam igitur Augustus morose transtulit versum Virgilii Aen. Libr. I. v. 282. et, ut pullatos ad spectacula admissos vetuit sedere media cavea, auctore Sueton. c. 44., sic neminem passus est consistere *in Foro circave* i. e. locis Foro vicinis, nisi togatum et depositis lacernis, quod pallii genus caeteris vestibus superinjici solebat.

XV. Idem narrat Dio Cass. Libr. LIV. c. 11.: (*Ἀγρίππας*) *τό τε ὕδωρ τὸ Παρθένιον καλούμενον τοῖς ἰδίοις τέλεσιν ἐσαγαγὼν, Αὔγουστον προσηγόρευσε. Καὶ οὕτω γε ἐκεῖνος ἐπ' αὐτῷ ἔχαιρεν, ὥστε σπανιότητός ποτε οἴνου γενομένης, καὶ τῶν ἀνθρώπων δεινὰ διαβοώντων, ἱκανώτατα ἔφη τὸν Ἀγρίππαν προνενοηκέναι, ὥστε μὴ δίψῃ ποτὲ αὐτοὺς ἀπολέσθαι.* Aqua, quae *Virgo* appellabatur, teste Frontino de Aquaed. Art. 10. p. 44., in Urbem deducta a. U. C. 735. et dies, quo primum in Urbe responderet, V. Idus Junias erat. Dionis errorem, qui aquam Augustam a Virgine non distinguit, notavit jam Fabricius N. 114. Vol. VI. p. 112. Strr. cl. Sachsii *Gesch. u. Beschr. d. alt. Stadt Rom.* Tom. II. p. 97. In aquaeductibus tantum praestiterat Agrippa, ut jam omnes inter opera ejus referri quodammodo possent, observante Jo. Poleno ad Frontin. l. c. Art. 98. p. 171. De Agrippa aedificatore et liberali artium fautore scripserunt A. Hirtius in *Mus. d. Alterthums-Wissensch.* Vol. I. N. 2. p. 233—241. et C. A. Semmlerus in *Zeitung f. d. eleg. Welt* 1816. N. 132 — 135. — Ipsum Augusti responsum imperatoriae gravitatis ac fastus plenum subdubito num satis docere possit, eum *salubrem* h. e. parcum luxuriaeque moderan-

populo, promissum quidem congiarium reposcenti, *Bonae se fidei esse,* respondit: non promissum autem flagitanti, turpitudinem et impudentiam edicto exprobravit: affirmavitque, non daturum se, quamvis dare destinarat.

XVI. Suetonius c. 25.

Nihil minus in perfecto duce, quam festinationem temeritatemque convenire arbitrabatur. Crebro itaque illa jactabat:

Σπεῦδε βραδέως. Et

Ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης.

Et, *Sat celeriter fieri, quicquid fiat satis bene.* Proelium quidem aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi quum major emolumenti spes, quam damni metus ostenderetur. Nam, *Minima commoda non minimo sectantes discrimine, similes* ajebat *esse aureo hamo piscantibus: cujus abrupti damnum nulla captura pensari posset.*

XVII. Suetonius c. 23.

Adeo denique consternatum ferunt, ut per continuos menses, barba capillo-

---

tem magis, quam *ambitiosum* fuisse principem. — *Reposcenti* nolim cum Ruhnkenio in Schol. p. 160. accipere pro *poscenti:* nam syllaba *re* h. l. exprimit debitum et officium, ut post Reizium docte ostendit Paldamus ad Sueton. Jul. Caes. c. 78. et ad h. l. cf. Ruhnken. ad Rutil. Lup. Libr. I. p. 37.

XVI. Quae crebro Augustus jactabat Graece dicta, commemorantur in Strategematis a Polyaeno: v. infra N. XXXVII. 4. — Gellius N. A. Libr. X. c. 11. et Macrobius Sat. Libr. VI. c. 8. referentes P. Nigidii disputationem de v. *maturus,* illius σπεῦδε βραδέως, *festina lente,* ab Augusto frequentari soliti, mentionem faciunt. Macrobius cum Gellio consentiens scribit: „Hanc interpretationem Nigidianam Divus Augustus duobus verbis Graecis eleganter exprimebat: nam et dicere in sermonibus, et scribere in epistolis solitum ferunt, σπεῦδε βραδέως, per quod monebat, ut ad rem agendam simul adhiberetur et industriae celeritas et tarditas diligentiae. Ex quibus duobus contrariis fit maturitas." Hujus dicti vim et salubritatem copiosissime explanavit D. Erasmus Adag. p. 240—244. et J. H. Boeclerus in Comment. in Tacit. Annal. (Argentor. 1664.) p. 59. sqq. — Ad Polynicis ap. Euripid. Phoenis. v. 612. verba, quae et ipsa in ore habebat Augustus, illustranda adnotavit Baumgarten-Crusius: „Sententiam dat etiam Appianus Civ. 5, 84., ubi suadentibus, ut Pompejum classe aggrederetur, amicis respondisse dicitur Augustus, οὐκ εὔβουλον εἶναι τὸ ῥιψοκίνδυνον, ἔνθα συμμαχίαν ἄλλην προςδοκῴη. Diversum Caesaris fuerat ingenium (Suet. Caes. 58.), *qui non nisi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est* (Caes. 60.). Sed ille imperium expugnabat, Augustus, ingenio animique vi longe inferior, partum tuebatur." Vere quidem: at meticulosae etiam indolis imbellisque erat Augustus, eique culpae vitioque naturae prudentiae speciem praetendebat remque turpem pulchre dictis colorabat. — Quod attinet ad dictum illud: *Sat celeriter fieri, quicquid fiat satis bene;* Beroaldus ad h. l. adnotat, Catonis dictum esse, et Erasmus in Adag. p. 244. scribit: „divus Hieronymus scribens ad Pammachium in haec verba: Scitum est illud quoque Catonis: *Sat cito, si sat bene!* Quod nos quondam adolescentuli, cum a perfecto oratore in praefatiuncula diceretur, risimus. Meminisse te puto erroris mutui, cum omne Athenaeum scholasticorum vocibus consonabat: *Sat cito, sat bene!*" — Vide infr. N. XXXVII. 6.

XVII. Clades Variana accidit mense Septembri a. U. C. 762. vid. H. Ludenius in *Gesch.*

que summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quintili Vare, legiones redde*: diemque cladis quotannis moestum habuerit ac lugubrem.

XVIII. Suetonius c. 58.

Patris patriae cognomen universi repentino maximoque consensu detulerunt ei: prima plebs, legatione Antium missa; dein, quia non recipiebat, ineunti Romae spectacula frequens et laureata: mox in Curia Senatus, neque decreto, neque acclamatione, sed per Valerium Messalam. Is, mandantibus cunctis, „Quod bonum", inquit, „faustumque sit tibi, domuique tuae, Caesar Auguste: sic enim nos perpetuam felicitatem Reipublicae et laeta huic precari existimamus: Senatus te, consentiens cum populo Romano, consalutat Patriae Patrem." Cui lacrimans respondit Augustus his verbis: (ipsa enim, sicut Messalae, posui) „*Compos factus votorum meorum, Patres Conscripti, quid habeo aliud deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitae finem mihi perferre liceat?*"

XIX. Suetonius c. 56.

Nunquam filios suos populo commendavit, ut non adjiceret: *Si merebuntur.*

---

d. teutschen Volkes. Tom. I. p. 234. cl. p. 662. Not. 20. Eodem mense explevit Augustus annum aetatis septuagesimum secundum. Neque tamen a senectute excusationem veniamque habere poterit tam insanus de clade quamvis funesta luctus. Hoc erat, quod Graeci dicunt τὴν περιπέτειαν οὐ κατὰ σχῆμα φέρειν! Verissime autem Ludenius l. c. p. 667. Not. 2.: „*Es ist kaum zu glauben, dass Augustus* per continuos menses *dieses Toben fortgesetzt habe. In den ersten Stunden nur ist ein* Quintili Vare, legiones redde! *begreiflich.*" Suetonius et Dio Cass. Libr. LVI. c. 23. relata referunt: ex Suetonio hauserunt Aur. Victor Epit. c. 1. et Orosius Libr. VI. c. 21. Consternatum quidem fuisse Augustum, neque tamen mente consilioque excussum, testantur ea, quae, accepto isto nuncio, ad tutandam Urbis imperiique incolumitatem extemplo instituisse narratur.

XVIII. Quo anno Augustus repentino maximoque consensu ab universis *Pater Patriae* consalutatus sit, hodieque controversum est. Plerique tamen Viri Docti, secuti Eckhelium Doctr. N. Vol. VI. p. 112. sqq. statuunt, illud cognomen ei delatum esse Nonis Februariis a. U. C. 752. Eo anno Augustus erat Consul XIII., isque consulatus ejus ultimus, ut constat ex Sueton. c. 26. De die, quo illud factum sit, dubitari nequit, auctore Ovidio Fast. Libr. II. v. 127.: „*Sancte Pater patriae, tibi Plebs, tibi Curia nomen Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen Eques.*" Sed de anno praeter eos, quos BCrusius ad h. l. laudat, conferantur Ellendtus in Proleg. ad Ciceronis Brut. p. CXXXIV. et Osannus in Syllog. Inscript. p. 561. Vim et usum illius nominis explicaverunt J. A. Ernestius in Opusc. Orat. p. 165. sqq. et C. Fr. Ch. Wenckius in Opusc. Acad. p. 333. Caeterum, quae Augustus lacrimans Messalae respondit, ea credo profecta esse ex animo ob nomen dudum sibi exoptatum vehementer commoto, secus quidem iniquiusque existimante Wielando ad Horat. Libr. II. Epist. 1. p. 14. sqq. Messalae verba, quae posuit Suetonius et in quibus non multum aberat quin Oudendorpii conjecturam: *laeta huic Urbi*, reponerem, ex Actis Senatus deprompta esse, probabiliter suspicatur A. Krausius de Suetonii Font. et Auctorit. p. 40.

XIX. Prudentiae erat ac favorabilis modestiae, his verbis commendare populo filios, quos inter Tiberius esset, cujus animum probe haberet perspectum: vid. Excurs. II. Nero etiam Senatui gratias agenti respondebat: *quum meruero*, teste Suetonio c. 10.

XX. Suetonius c. 65.

Julias, filiam et neptem, omnibus probris contaminatas, relegavit. Gajum et Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos, Gajo in Lycia, Lucio Massiliae defunctis. Tertium nepotem Agrippam, simulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege curiata. Ex quibus Agrippam brevi ob ingenium sordidum ac ferox abdicavit, seposuitque Surrentum. Aliquanto autem patientius mortem quam dedecora suorum tulit. Nam Gaji Luciique casu non adeo fractus, de filia absens, ac libello per Quaestorem recitato, notum Senatui fecit, abstinuitque congressu hominum diu prae pudore; etiam de necanda deliberavit. Certe quum sub idem tempus una ex consciis liberta, Phoebe nomine, suspendio vitam finisset: *Maluisse se*, ait, *Phoebes patrem fuisse.* Relegatae usum vini omnemque delicatiorem cultum ademit: neque adiri a quoquam libero servove, nisi se consulto, permisit; et ita, ut certior fieret, qua is aetate, qua statura, quo colore esset, etiam quibus corporis notis vel cicatricibus. Post quinquennium demum ex insula in continentem, lenioribusque paullo conditionibus, transtulit eam. Nam ut omnino revocaret, exorari nullo modo potuit; deprecanti saepe populo Romano, et pertinacius instanti, *tales filias talesque conjuges* pro concione imprecatus. Ex nepte Julia post damnationem editum infantem agnosci alique vetuit. Agrippam nihilo tractabiliorem, immo in dies amentiorem, in insulam transportavit, sepsitque insuper custodia militum. Cavit etiam Senatusconsulto, ut eodem loci in perpetuum contineretur: atque ad omnem et ejus et Juliarum mentionem ingemiscens, proclamare etiam solebat:

Αἴθ᾽ ὄφελον ἄγαμός τ᾽ ἔμεναι, ἄγονός τ᾽ ἀπολέσθαι·

nec aliter eos appellare, quam tres vomicas aut tria carcinomata sua.

XXI. Seneca de Benef. Libr. VI. c. 32.

Divus Augustus filiam ultra impudicitiae maledictum impudicam relegavit, et flagitia principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus civitatem, forum ipsum, ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiae in stupra placuisse, quotidianum ad Marsyam concursum; quum ex adultera in quaestuariam versa, jus omnis licentiae sub ignoto adultero peteret. Haec tam vindicanda Principi quam tacenda, quia quarundam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit, parum potens irae publicaverat. Deinde quum, interposito tempore, in locum irae subisset verecundia, gemens, quod non illa silentio pressisset, quae tamdiu nescierat, donec loqui turpe esset, saepe exclamavit: *Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Maecenas vixisset.* Adeo tot habenti millia ho-

---

XX. et XXI. Spectant haec ad interiorem et familiarem Augusti vitam, quibusque moribus atque fortuna domi et inter suos egerit, ut utar verbis Suetonii c. 61.: quae omnia copiosius illustravi in Excurs. IV.

minum, duos reparare difficile est! Caesae sunt legiones, et protinus scriptae; fracta classis, et intra paucos dies natavit nova; saevitum est in opera publica ignibus, surrexerunt meliora consumtis: tota vita, Agrippae et Maecenatis vacavit locus.

XXII. Suetonius in Galba c. 4.

Constat, Augustum puero adhuc (Galbae), salutanti se inter aequales, apprehensa buccula, dixisse, *καὶ σὺ, τέκνον, τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παρατρώξῃ.*

XXIII. Suetonius in August. c. 97.

Tiberium in Illyricum dimissurus et Beneventum usque prosecuturus, quum interpellatores aliis atque aliis caussis in jure dicendo detinerent, exclamavit (quod et ipsum mox inter omina relatum est): *Non, si omnia morarentur, amplius se posthac Romae futurum.*

XXIV. Suetonius in Tiber. c. 21.

Ac non multo post lege per Consules lata, ut provincias communiter cum Augusto administraret, simulque censum ageret, condito lustro, in Illyricum pro-

---

XXII. *Serv. Sulpicius Galba* natus est d. IX. Kal. Januar. a. U. C. 751.; Augustus vita excessit d. XIV. Kal. Septembr. a. U. C. 767. Ergo Galba, vivente Augusto et imperante, ad eam adoleverat aetatem, qua sumi solebat toga virilis, quam ei datam esse ipsis Kalendis Januariis a. U. C. 767. attestatur Dio Cass. Libr. LVI. c. 29. Poterat igitur Galbae, puero adhuc, ab Augusto imperium praedici. Atqui cum Suetonio pugnat Tacitus, hoc praesagium Tiberio attribuens Ann. Libr. VI. c. 20.: „Non omiserim praesagium Tiberii de Ser. Galba tum Consule; quem accitum et diversis sermonibus pertentatum postremo Graecis verbis in hanc sententiam allocutus, „*Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium,*“ seram ac brevem potentiam significans scientia Chaldaeorum artis, cujus apiscendae otium apud Rhodum, magistrum Thrasyllum habuit, peritiam ejus hoc modo expertus.“ Cum Tacito faciunt Josephus Ant. Jud. Libr. XVIII. c. 6. et Dio Cass. Libr. LVII. c. 19. Tiberius, auctore Tacito, verbis Graecis allocutus est Galbam tunc Consulem; contra Augustus eadem praedixit Galbae adhuc puero itidem verbis Graecis, quae ipsa posuit Suetonius, suo more, de quo exposuit A. Krause de Suetonii Font. et Auctor. p. 4. sq. Similis dissensus utriusque scriptoris exempla collegit G. H. Walther. ad Tacit. Ann. Libr. I. c. 6. Tom. I. p. 12. At poterat uterque Imperator Galbae idem et iisdem verbis praedicere, ita ut neque Tacitus neque Suetonius errasse et duplex praesagium confudisse dicendus sit. Suetonius illud retulit ad Augustum auctorem, omissa Tiberii mentione, praesertim cum de hoc singularia subjiceret haec: „Sed et Tiberius, cum comperisset imperaturum eum, verum in senecta: *Vivat sane,* inquit, *quando id ad nos nihil pertinet.*“ Utut est, illud dubitari nequit quin Suetonius, quae est ejus in scribendo accuratio, ipsa Imperatoris verba Graeca dederit, in quibus *παραγεύσῃ*, quod nonnulli ediderunt pro *παρατρώξῃ*, glossema esse, ex Dione Cassio translatum, apertum est.

XXIII. *Non, si omnia morarentur*, est, *οὐδ᾽ ἂν εἰ μέλλῃ πάντα αὐτῷ ἐμποδιεῖν*, ut Casaubonus ostendit, qui etiam recte observat, postrema illa verba: *amplius se posthac Romae futurum,* in omen versa esse.

XXIV. Comparat Augustus Tiberium, successorem suum, cum bestia, et populum Ro-

fectus est. Et statim ex itinere revocatus, jam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit, fuitque una secreto per totum diem. Scio, vulgo persuasum, quasi, egresso post secretum sermonem Tiberio, vox Augusti per cubicularios excepta sit: *Miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit!*

XXV. Dio Cassius Libr. LVI. c. 30.

Εἴτ' οὖν ἐκ τούτου, εἴτε καὶ ἄλλως ἀῤῥωστήσας, τούς τε ἑταίρους συνεκάλεσε, καὶ εἰπὼν αὐτοῖς ὅσα ἔχρῃζε, τέλος ἔφη ὅτι „Τὴν Ῥώμην γηΐνην παραλαβὼν λιθίνην ὑμῖν καταλείπω.“ τοῦτο μὲν οὖν οὐ πρὸς τὸ τῶν οἰκοδομημάτων αὐτῆς ἀκριβὲς, ἀλλὰ πρὸς τὸ τῆς ἀρχῆς ἰσχυρὸν ἐνεδείξατο.

---

manum cum homine, qui rictu saevae bestiae apprehensus lentis morsibus, tantoque longiore cruciatu conteritur et enecatur. *Lentae maxillae* dicuntur, quae frangunt et comminuunt, sed lento morsu et cum longiore cruciatu, ut adnotat Ruhnkenius in Schol. p. 223. Augustus, hoc dicto *saevam ac lentam naturam* Tiberii respiciens, magnis obnoxius fuit criminationibus, de quibus dictum est in Excurs. II.

XXV. Consulto huc Dionis Cassii verba transscripsi. — Suetonius c. 29. „Urbem,“ inquit, „neque pro majestate imperii ornatam, et inundationibus incendiisque obnoxiam, excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset. Tutam vero, quantum provideri humana ratione potuit, etiam in posterum praestitit.“ Quam Dio Cassius itemque Xiphilinus vocant Romam *γηΐνην*, eam Zonaras Annal. T. II. p. 170. W., idem ex Dione referens, nominat *πηλίνην*, quod propius accedit ad *latericiam* Suetonii et S. Aurelii Victoris Epit. c. 1. §. 19. Atque Julianus, illud Augusti dictum haud dubie respiciens, in Caes. p. 21. Heus.: „*Ὑπὸ δὲ τῶν ἐμφυλίων στάσεων τὴν Ῥώμην ὁρῶν εἰς ἔσχατον ἐλαύνουσαν πολλάκις κίνδυνον, οὕτω διεθέμην τὰ περὶ αὐτὴν, ὥστε εἶναι δι' ὑμᾶς, ὦ θεοὶ, τὸ λοιπὸν ἀδαμαντίνην.*“ Atque eamdem illam Augusti vocem spectasse videtur idem Julianus, quum, auctore Libanio in Legat. ad Julian. de Antiochia Tom. II. p. 163., diceret Antiochenis: „*Σὺ γάρ τι τῇ πόλει μεμφόμενος, Ἐγὼ δὲ, ἔφης, αὐτὴν διενοούμην ποιῆσαι μαρμαρίνην.*“ Sylburgius ad Xiphilinum et Casaubonus laudant etiam Aristophanis Equitt. v. 811., ubi de Themistocle: *ὃς ἐποίησεν τὴν πόλιν ἡμῶν μεστὴν εὑρὼν ἐπιχειλῆ*: v. Beckii Comment. Vol. IV. p. 228. sq. Ab Suetonio propria Augusti verba cum fide allata esse, nemo, qui illum noverit scriptorem, dubitabit. Atque Romani antiqui domibus latericiis paullulum modo lapidibus suffundatis, ut humorem effugerent, habitabant, ut ait M. Varro in *Ταφῇ Μενίππου* ap. Nonium: v. Edit. Bipont. Tom. I. p. 312. Acceperat igitur Augustus Urbem revera latericiam et, cum eam, dum regnabat, pulchris ac sumptuosis aedibus, templis, basilicis, porticibus aliisque structuris singulari cum liberalitate excolendam ornandamque curasset, jure gloriari poterat, se eam relinquere *marmoream* h. e. aedificiis magnificis splendidam. Mihi enim neutiquam dubium est quin Augustus ea de re proprie locutus sit. Dioni Cassio, *ἀλληγορικῶς* illa verba interpretanti, assensum praebet Fabricius N. 138. Vol. VI. p. 219. sq. Julianus pro libri sui consilio eamdem utique mentem Augusto subjecit, Dionis Cassii v. *λιθίνην* permutans v. *ἀδαμαντίνην*, cui notionem roboris et firmitatis inesse, docuit Heusingerus ad Juliani Caesar. p. 118. et in Vechneri Hellenolex. Libr. II. c. 4. p. 461. sq. At *marmori* nusquam non adhaeret significatio splendoris ac magnificentiae. Quare ne illud quidem concesserim, quod C. Passovius in Vita Horatii p. CVI. N. 242. statuit, illis verbis *ἀμφιβόλως* simul significatum esse *τὸ τῆς ἀρχῆς ἰσχυρόν.* Sic etiam Michael Glycas Annal. P. III. p. 383. Bekk.: „*ἐπεὶ δὲ ὁ Καῖσαρ ἐξίστατο τοῦ βίου,* „*πηλίνην*“ *ἔφησε* „*τὴν πόλιν εὑρὼν καλλίπυργον ταύτην καὶ στερεμνίαν πεποίηκα.*“ Augusti verba proprie accipit O. Müllerus in *Handbuch der Archaeologie der Kunst* §. 185. et quam insigniter

XXVI. Suetonius in August. c. 99.

Supremo die identidem exquirens, an jam de se tumultus foris esset, petito speculo capillum sibi comi ac malas labentes corrigi praecepit. Et admissos amicos percunctatus, *Ecquid iis videretur mimum vitae commode transegisse*, adjecit et clausulam:

Εἰ δὲ πᾶν ἔχει καλῶς, τῷ παιγνίῳ
Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

Omnibus deinde dimissis, dum advenientes ab Urbe de Drusi filia aegra interrogat, repente in osculis Liviae et in hac voce defecit: *Livia, nostri conjugii memor vive, ac vale!* sortitus exitum facilem, et qualem semper optaverat. Nam fere quoties audisset, cito ac nullo cruciatu defunctum quempiam, sibi et suis *εὐθανασίαν* similem (hoc enim et verbo uti solebat) precabatur.

XXVII. Macrobius Saturn. Libr. II. c. 4.

Augustus Caesar affectavit jocos, salvo tamen majestatis pudorisque respectu, nec ut caderet in scurram.

1. Ajacem tragoediam scripserat, eandemque, quod sibi displicuisset, deleverat. Postea Lucius Varius, tragoediarum scriptor, interrogabat eum, quid ageret Ajax suus; et ille „*In spongiam*,“ inquit, „*incubuit*“.

---

ille eo nomine meruerit de Urbe, his verbis declarat §. 190.: „*Augustus umfasste alle Zweige einer Römischen Bauordnung mit wahrhaft fürstlichem Sinne; er fand das Marsfeld noch grösstentheils frei und machte es, nebst Agrippa und Andern, zu einer Prachtstadt, gegen welche die übrige Stadt fast als Nebensache erschien.*“ Opera, quae Romae partim ab ipso Augusto partim ab ejus amicis condita esse traduntur, numerando percensuerunt O. Müllerus et copiosius etiam Sachsius in *Geschichte und Beschr. d. alt. Stadt Rom.* Tom. II. p. 1—124. Sed tamen, quae urbs ab *Augusto* dicta est marmorea, eam non mirabimur visam esse humilem atque indecoram *Neroni*, quem, exstructa sibi domo aurea, dictitasse scimus, se quasi hominem tandem habitare coepisse: v. Sueton. c. 31. Quapropter equidem vehementer dubito, num Paldamus totum illum, quem huc transscripsi, locum Suetonii jure in suspicionem vocaverit. Ut enim adamaverit privatarum aedium mediocritatem Augustus, teste Suetonio c. 72., tamen ipsius Urbis splendori operibus magnificis liberaliter ab eo prospectum esse, modo ostendimus. Eo nomine Augustum mortuum laudatum esse a prudentibus, auctor est Tacitus Ann. Libr. I. c. 9. Neque in verbis eorumque structura quidquam invenio quod alienum sit a consuetudine Suetonii, qui h. l. *excoluit* scripsit ob antec. *ornatam* et ob vv. *inundationibus incendiisque obnoxiam* adjecit *Tutam — praestitit* sc. institutis ad disciplinam publicam spectantibus, quibus inundationes et incendia caverentur: v. Sachsius l. c. p. 117. sq. Caeterum ego etiam apud Suetonium ab hoc loco novi capitis principium ducendum esse arbitror, auctore et suasore Casaubono, cui BCrusius merito obsecutus est.

XXVI. Totum hunc locum valde controversum multisque nominibus memorabilem pertractavi in Excurs. V.

XXVII. 1. Pro vulg. *Lucius gravis tragoediarum scriptor* fidenter recepi conjecturam *Lucius Varius*, quam stabilire studui in Comment. *de L. Vario Poeta* §. 2. N. 5. p. 8. Clarissimus enim ille poeta tragicus cum fuerit ex Caesarianis et ideo apud Augustum gratiosus, non est

2. Idem Augustus, cum ei quidam libellum trepidus offerret, et modo proferret manum, modo retraheret, „*Putas*“, inquit, „*te assem elephanto dare?*“

3. Idem cum ab eo Pacuvius Taurus congiarium peteret, diceretque, jam hoc homines vulgo loqui, non parvam sibi ab illo pecuniam datam: „*Sed tu*“, inquit, „*noli credere.*“

4. Alium, praefectura equitum summotum, et insuper salarium postulantem, dicentemque, Non lucri causa dari hoc mihi rogo, sed ut judicio tuo munus videar impetrasse, et ita officium deposuisse, hoc dicto repercussit: *Tu te accepisse apud omnes affirma; et ego dedisse me non negabo.*

5. Urbanitas ejusdem innotuit circa Herennium deditum vitiis juvenem: quem cum castris excedere jussisset, et ille supplex hac deprecatione uteretur: „Quo modo ad patrias sedes revertar? quid patri meo dicam?“ respondit: *Dic, me tibi displicuisse.*

---

quod dubitemus de fide Macrobii referentis, Augustum ab eo interrogatum esse de Ajace tragoedia. Eamdem rem, omisso Varii nomine, memorat Suetonius c. 85. Responsi acumen et lepor inest in ambiguitate v. *incubuisse.* Sicut verus Ajax in gladium incubuerat et exstinctus est, ita Ajax, tragoedia ab Augusto scripta, in spongiam incubuit i. e. deleta est. Fr. A. Wolfius ad Sueton. l. c. frigidiorem dicit hunc esse jocum, quamquam suo ferendum loco. Recte autem ille eos deridet, qui *in spongiam incumbere* in universum de scriptis pro *deleri* Latine dici posse opinentur. Intellige *spongiam deletilem*, de cujus usu vid. R. de Prado ad Martialis Libr. IV. Ep. 10. p. 306.

2. Idem narrat Suetonius c. 53.: „Promiscuis salutationibus admittebat et plebem; tanta comitate adeuntium desideria excipiens, ut quendam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem.“ Et Quintilianus I. Or. Libr. VI. 3. §. 59.: „Adhibetur — similitudo interim palam, interim inseri solet parabolae: cujus est generis id Augusti, qui militi libellum timide porrigenti, Noli, inquit, dubitare, tanquam assem elephanto des.“ Quo in loco cum plur. Codices v. *dubitare* omittant, Spaldingius suspicatur, id ex Suetonio obtrusum esse Quintiliano, cum subaudiri debeat *timere* et velut δεικτικῶς intelligi. Mihi genuina Augusti verba videtur Macrobius dedisse, utpote ipsa brevitate Imperatori aliquem joco corripienti magis convenientia: a Suetonio res narratur ideoque *stipem* pro *asse* posuit. Eadem variavit Quintilianus, ex quo discimus, illum fuisse militem, qui Augusto timide porrigeret *libellum* h. e. supplicem, petendi aliquid caussa scriptum: quo significatu jam Cicero pro Arch. c. 10. §. 25. putatur usurpasse: cf. Plinii Libr. I. Ep. 10. §. 9. ibiq. Gierig. De re, unde fluxit Augusti jocus, Casaubonus laudat Aelianum de Animal. Libr. VI. c. 10.

3. *Pacuvius Taurus*, qui hic *congiarium* i. e. pecuniae donum petiisse traditur, ex probabili Glandorpii in Onomast. p. 654. conjectura, est abjectissimae iste adulationis homo, *Sextus Pacuvius Taurus*, qui, auctore Dione Cass. Libr. LIII. c. 20., in Senatu Augusto se devovit idemque ut facerent, aliis suasor exstitit, et qui aliquando in concione professus est, se Augustum ex aequo cum filio suo nuncupaturum esse heredem, οὐχ ὅτι τι εἶχεν, ἀλλ' ὅτι καὶ προςλαβεῖν ἠθέλησεν, ὃ καὶ ἐγένετο, ut ait Dio. Fabricius ad h. l. N. 138. et 144. Vol. VI. p. 80. St. hoc ipsum factum a Macrobio referri putat. Idemne sit Sextus Pacuvius, quo tribuno plebem rogante plebiscitum factum est, ut mensis Sextilis appellaretur Augustus, teste Macrobio Lib. I. c. 12., decernere non ausim.

5. Ille *Herennius* fuerat praefectus, quem Augustus cum ignominia mittebat, auctore Quintiliano I. Or. Libr. VI. 3. §. 64. idem urbane dictum afferente, omissis verbis: *quomodo ad patrias sedes revertar?*

6. Saxo in expeditione percussum, ac notabili cicatrice in fronte deformem, nimium tamen sua opera jactantem, sic leniter castigavit: „*At tu cum fugies*“, inquit, „*nunquam post te respexeris.*“

7. Galbae, cujus informe gibbo erat corpus, agenti apud se causam, et frequenter dicenti, „Corrige, in me si quid reprehendis,“ respondit: *Ego te monere possum, corrigere non possum.*

8. Cum multi Severo Cassio accusante absolverentur et architectus fori Augusti exspectationem operis diu traheret, ita jocatus est: *Vellem, Cassius et meum forum accusasset.*

9. Vettius cum monumentum patris exarasset, ait Augustus: *Hoc est vere monumentum patris colere.*

10. Cum audisset, inter pueros, quos in Syria Herodes rex Judaeorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: *Melius est, Herodis porcum esse, quam filium.*

---

7. *Galba* ille est Imperatoris pater, qui cum, teste Suetonio in Galb. c. 3., brevi esset corpore atque etiam gibber et, licet modicae in dicendo facultatis, caussas tamen industrie actitaret, ludificandi ansam dedit etiam aliis, ut M. Lollio et Orbilio, referente Macrobio Sat. Libr. II. c. 6. — Ludit Augustus v. *corrigere* i. e. rectum facere quod curvum est et h. l. corpus gibba informe erigere. Plinius N. H. Libr. VII. c. 20. §. 83.: „C. Milonem athletam, cum constitisset, nemo vestigio educebat, malum tenenti nemo digitum corrigebat“ i. e. erigebat. Sic ap. Sueton. Jul. Caes. c. 47. „servitia *rectiora* politioraque“ sunt servi sani procerique corporis, in quorum forma et habitu nihil reprehendendum: vid. Intpp. ad h. l.

8. Hunc jocum explicavi in Comment. *de Cassio Parmensi* §. 4. p. 196. *Forum* accipe de eo, quod Augustus ad templum Martis Ultoris condidit: v. Sachsii *Gesch. u. Beschr. d. alt. Stadt Rom.* Tom. II. p. 92. sq.

9. *Vettius* iste, homo incognitus nobis, arando eruerat patris monumentum, h. e. cippum terra obrutum et absconditum. Cf. Intpp. ad Horat. Libr. I. Sat. 8. v. 12. Ludit et h. l. Augustus ambiguitate v. *colere*. Ager colitur, quum aratur, et colitur is, quem veneramur. Acumen joci per se frigidi prorsus perit conjectura Erasmi: *hoc est vere memoriam patris colere!* Neque *colere* h. l. est ornare, excolere, ut Zeunius vult. Inest tecta exprobratio negligentiae, cum filius monumentum patris corrui et terra obrui passus esset.

10. Memorabilis hic locus Macrobii, utqui unus ex scriptoribus profanis infanticidium Bethlehemiticum contestetur. Sed Macrobius ἀνιστορησίᾳ lapsus caedem filii Antipatri adolescentis commiscet cum interitu puerorum, quos Herodes, ut Matthaeus c. 2. v. 16. scripsit, ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω interfici jussit: v. Kuinoelii Comment. in N. T. Vol. I. p. 62. sq. Miratur Scaliger ad Eusebium p. 163., haec verba excidere potuisse Augusto, cum ipse sententiam capitis in tres Herodis filios, Antipatrum, Aristobulum et Alexandrum, judicio suo probatam confirmarit. At fac capitis sententiam probatam confirmatamque fuisse ab Augusto, poterat tamen ab eo his verbis notari saevus Herodis patris in filium Antipatrum animus. De hoc enim hic cogitandum esse, inde patet, quod de Aristobulo et Alexandro una eademque sententia capitis dicta est. Vid. Josephus A. J. Libr. XVI. c. 11. §. 7. et Leo in *Vorlesung. üb. Jüdische Gesch.* p. 259. Antipater Herodis jussu jugulatus est quinque dies ante patris mortem a. U. C. 751. v. Josephus Antiquitt. Jud. Libr. XVII. c. 7. et 8. et Norisii Cenot. Pisan. II. p. 146. sq. Jac. Gronovius cum hoc Augusti dicto comparat, quae de Diogene Sinopensi narrat Aelianus V. H. Libr. XII. c. 56.: Διογένης ὁ Σινωπεὺς ἔλεγε πολλά, τὴν ἀμαθίαν καὶ τὴν

11. Exceptus est a quodam coena satis parca, et quasi quotidiana: nam paene nulli se invitanti negabat. Post epulum igitur inops ac sine ullo apparatu discedens, vale dicenti hoc tantum insusurravit: *Non putabam me tibi tam familiarem.*

12. Cum de Tyriae purpurae, quam emi jusserat, obscuritate quereretur, dicente venditore, „Erige altius, et suspice", his usus est salibus: *Quid? ego, ut me populus Romanus dicat bene cultum, in solario ambulaturus sum?*

13. Nomenclatori suo, de cujus oblivione querebatur, dicenti, Numquid ad forum mandas? „*Accipe*", inquit, „*commendatitias, quia illic neminem nosti.*"

14. Vatinio in prima sua aetate eleganter insultavit. Contusus ille podagra, volebat tamen videri discussisse jam vitium, et mille passus ambulare se gloriabatur; cui Caesar, „*Non miror*", inquit, „*dies aliquanto sunt longiores.*"

15. Relata ad se magnitudine aeris alieni, quam quidam eques Romanus dum vixit excedentem ducenties celaverat, culcitam emi cubicularem in ejus auctione sibi jussit et praeceptum mirantibus, hanc rationem reddidit: *Habenda est ad somnum culcita, in qua ille, cum tantum deberet, dormire potuit.*

16. Non est intermittendus sermo ejus, quem Catonis honori dedit. Venit forte in domum, in qua Cato habitaverat: dein Strabone in adulationem Cae-

---

ἀπαιδευσίαν τῶν Μεγαρέων διαβάλλων, καὶ ἐβούλετο Μεγαρέως ἀνδρὸς κριὸς εἶναι μᾶλλον, ἢ υἱὸς κ. τ. λ., eaque a se invicem mutuata esse credit. At mihi videtur potius Augusto haec dicenti obversatus esse Comicorum Graecorum lusus in similitudine verborum υἱέσιν et ὑσίν, quo traducebatur familia Hippocratis, lurconis cujusdam Atheniensis, teste Athenaeo Libr. III. c. 17. p. 96. ibiq. Schweigh. Animadvers. Tom. II. p. 151. sqq., quibus adde doctam adnotationem G. Hermanni ad Aristophanis Nub. v. 1001. p. 136. ed. 2. Num Augustus mentione *porci* simul Judaeorum religionem voluerit irridere, ut Jostius in *Allg. Gesch. d. Israel. Volkes.* Tom. II. p. 60. censet, magnopere dubito.

12. Purpurae Tyriae genus, quod brevi ante Augusti aetatem Romae in pretio esse coepit, fuit omnium optimum: videsis quos laudat Ruhkopfius ad Senecae N. Q. Libr. I. cap. 3. §. 13. Cum hoc Macrobii loco jam Muretus et Pontanus contulerunt ex Senecae N. Q. Libr. I. c. 5. §. 12.: „Purpuram Tyriam, quo melior saturiorque est, eo oportet altius teneas, ut fulgorem suum ostendat;" et Plinii N. H. Lib. IX. c. 38.: „Laus ei (purpurae Tyriae) summa in colore sanguinis concreti, nigricans adspectu idemque suspectu refulgens." Hinc ille venditor Augustum emptorem jubet ad explorandam purpurae bonitatem altius erigere et *suspicere*, quod est Gr. πρὸς αὐγὰς ἀνασκοπεῖν, ut copiose docuit Hemsterhusius ap. Ruhnkenium ad Tim. Lex. p. 264. sq. Macrobii locum allegat etiam J. H. Vossius ad Virgilii Georg. Libr. II. v. 506. p. 447. sq.

14. De *P. Vatinio* dixi in Comment. *de C. Licinio Calvo Poeta* §. 7. N. 21., ubi etiam Gronovii emendationem *contusus ille podagra* pro vulg. *confusus* defendi.

15. Aldin. et aliae priscae Editt. habent *ducenties LLS.*, ut solent notari sestertii: vid. Ramshorn. Gr. L. §. 156. Not. 5. p. 515. ed. 2. Qui a Pontano profertur locus Martialis Libr. V. Ep. 70. v. 5., vereor ut quid ad tuendam vulgatam probet.

16. Qui h. l. memoratur *Strabo*, videtur esse Bentlejo ad Horat. Libr. I. Od. 12. v. 35. conjectura verisimili *Sejus Strabo*, Eques et cohortium praetoriarum sub Augusto praefectus et L. Aelii Sejani pater: v. Tacitus Ann. Libr. I. c. 7. et 24. et Libr. IV. c. 1. ibiq. Lip-

saris male existimante de pervicacia Catonis, ait: *Quisquis praesentem statum civitatis commutari non volet, et civis et vir bonus est.* Satis serio et Catonem laudavit, et sibi, ne quis affectaret res novare, consuluit.

XXVIII. M. Seneca Controv. Libr. II. 13. pag. 184. Bip.

Hic est Lucius Vinicius, quo nemo civis Romanus in agendis caussis praesentius habuit ingenium: quidquid longa cogitatio illi praestitura erat, prima intentio animi dabat; ex tempore caussas agebat, sed non desiderabat hanc commendationem, ut ex tempore agere videretur. De hoc eleganter dixit divus Augustus: *Unus Vinicius ingenium in numerato habet.*

XXIX. M. Seneca Excerpt. Contr. Libr. IV. pag. 414. Bip.

Declamabat Haterius admisso populo ex tempore: solus omnium Romanorum, quos meo tempore cognovi, in Latinam linguam transtulit Graecam facilitatem. Tanta illi erat velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque divus

---

sius. — Augusti responsum, quo Strabonis adulationem repressit, Bentlejus quidem mirifico acumine in suae sententiae favorem detorquet, ut bene docet Ph. Buttmannus in Mytholog. Tom. I. p. 40. sq.; sed vere admonet, istud dictum excidisse Augusto securo jam imperii, cum posset prae se ferre consentientem cum Cicerone aliisque animum de laude Catonis, cujus virtus effecerat, ut, quisquis sanctum et egregium civem vellet, sub nomine Catonis definiret, ut ait Valer. Maxim. Libr. II. c. 10. 7. Perspicuum etiam est, *praesentem statum*, *τὰ καϑεστῶτα*, intellectum voluisse Augustum de suo imperio, quod usque timeret ne Fortuna injurioso pede prorueret. Igitur sibi potissimum consulturus repulit Strabonem de Catone *male existimantem* h. e. male dicentem: v. supra ad N. X. Sic Seneca de Ira Libr. III. c. 22. §. 2. *de rege suo male existimabant*: ibiq. Gronov.

XXVIII. Augusti aetate plures vixere *Vinicii*, de quibus accurate agam Cap. V. *ad Epistolarum Fragm. N. XIX.* — *Lucius Vinicius*, qui h. loco memoratur, ex verisimillima N. Fabri conjectura fuit frater Publii Vinicii, de quo Seneca Epist. XL. §. 9.: „Recte ergo facies, si non videris istos, qui quantum dicant, non quemadmodum, quaerunt: et ipse malueris aliquando si necesse est, velut P. Vinicius dicere. Qui quum quaereretur, quomodo diceret, Asellius ait, Tractim.“ Dispar igitur fratri suo *tractim* dicebat, et tamquam dictaret, non diceret. Idem L. Vinicius intelligendus est apud M. Senecam Excerpt. Controv. Libr. VII. Declam. 5. p. 458.. Bip., ubi ille appellatur: *vir exactissimi ingenii nec dicere ineptias nec ferre poterat.* — Loquendi formulam *aliquid in numerato habere* mutuatam esse ab argento, quod quis praesens paratumque habeat, notum est; eam ab Augusto primo translate usurpatam esse, veteribus notatu dignum visum est. Nam Quintilianus I. Or. Libr. VI. 3. §. 111.: „Illa potius, inquit, *urbana* esse dixerim, quae sunt generis ejusdem, quo *ridicula* dicuntur et tamen ridicula non sunt: ut de Pollione Asinio — et de actore facile dicente ex tempore, *Ingenium eum in numerato habere*:“ quo Augusti dictum respici, apertum est.

XXIX. Tacitus Ann. Libr. IV. c. 61., Cn. Lentulo Gaetulico et C. Calvisio Coss. a. U. C. 779., fine anni, inquit, excessere insignes viri, Asinius Agrippa, et — *Q. Haterius*, familia senatoria, eloquentiae quoad vixit celebratae: monimenta ingenii ejus haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis quam cura vigebat: utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est.“ Qui quidem Q. Haterius quin idem sit, quem M. Seneca laudat, non est dubium. Idem occurrit ap. L. Senecam

Augustus optime dixit: *Haterius noster sufflaminandus est.* Adeo non currere, sed decurrere videbatur: nec verborum tantum illi copia, sed etiam rerum erat: quotiens velles, eandem rem, et quamdiu velles, diceret.

XXX. M. Seneca Controv. Libr. V. Praef. p. 323. Bip.

Bene declamavit Gavius Silo: cui Caesar Augustus, cum frequenter caussas agentem in Terracinensi colonia vidisset, plenum testimonium reddidit; dixit enim: *Nunquam audivi patremfamilias disertiorem.* Erat cum patremfamilias praeferret, oratorem subduceret. Partem enim eloquentiae putabat, eloquentiam abscondere.

XXXI. Quintilianus Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 63.

Eques Romanus, ad quem in spectaculis bibentem cum misisset Augustus,

---

Epist. XL. §. 10.: „Nam Q. Haterii cursum suis temporibus oratoris celeberrimi longe abesse ab homine sano volo. Nunquam dubitavit, nunquam intermisit: semel incipiebat, semel desinebat.“ Sic h. l. pro vulg. *Namque Echerii* feliciter emendavit Lipsius. Idem ad hunc Haterium retulit verba Chronici Eusebiani ad Ol. CC. 4.: „Q. Haterius promptus et popularis orator usque ad nonagesimum prope annum in summo honore consenescit:“ ubi Scaliger p. 185. ed. 2. monet, Hieronymum, teste Tacito, biennii anachronismum committere. N. Faber et A. Schottus praeterea allegant Hieronymi Epist. 61. ad Pammachium, ubi haec: „Q. Haterius, qui ingenium in numerato habebat, ut sine monitore tacere non posset, de quo egregie Caesar Augustus, „Q., inquit, noster sufflaminandus est.“ Non puto cum Spaldingio ad Quintiliani I. Or. Libr. VI. 3. §. 111., Hieronymum per errorem confudisse Q. Haterium cum L. Vinicio, sed tantum Augusti dicto usum esse ad designandam extemporalem Haterii facultatem dicendi. — *Sufflaminare* proprie est ruentem currum sistere seu cohibere *sufflamine*, quod non erat lignum, ut vulgo explicatur, quo rotae nimio impetu ruentes cohibentur, sed vinculum ferreum seu catena, τροχοπέδη, non *Hemmschuh*, sed *Hemmkette.* G. J. Vossius in Etymol. p. 501. deducit a v. *flamen*, ut *sufflaminare* proprie sit, rem cum impetu ruentem in contrarium *flando* sistere: quod N. L. Achaintre amplexus est ad Juvenalis Sat. VIII. v. 148.: „*Ipse rotam adstringit multo sufflamine Consul:*“ ut sit h. l. *multo sufflamine* i. q. multo et vehementi anhelitu, conferens Gall. *souffler.* Quod liquet quam ridiculum sit! Mihi cognatum videtur cum v. *filamen:* Scholiastes ad Juvenal. l. c. p. 227. ed. Cram.: „*Sufflamen* vinculum ferreum, quod inter radios mittitur, dum clivum descendere coeperit rheda, ne celeres rotae sequantur et animalia vexent.“ Seneca de morte Claudii Caesaris c. 14. §. 3.: „aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam.“ Augustus hoc quoque nomen primus videtur translate usurpasse. Post illum dici coeptum est de quocumque retinaculo, impedimento, retardatione, ut ap. Juvenal. Sat. XVI. v. 50.: „*Nec res atteritur longo sufflamine litis.*“

XXX. N. Faber bene correxit *Gavius* pro *Gajus Silo*, cum M. Seneca rhetoras nunquam ex praenomine, sed ex nomine vel cognomine soleat denominare. *Gavii* autem jam Ciceronis aetate exstitere multi, ut praeter Glandorpium in Onomast. p. 379. ostendit Perizonius Animadv. Hist, c. 1. p. 30. Nomini *patrisfamilias* adhaesit ap. Romanos notio hominis loquacis, simplicis atque illitterati, ἰδιώτου, ut Crassus ap. Ciceronem de Orat. Libr. I. c. 29. §. 132. „*qui sicut*, inquit, *unus paterfamilias his de rebus loquor.*“ et c. 34. §. 159.: „*Effudi vobis omnia, quae sentiebam, quae fortasse, quemcunque patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus respondisset.*“ Illa vv. *Erat cum — subduceret*, dedi ex emendatione Gronovii h. s.: aliquando in orando personam patrisfamilias praeferebat, personam et artem oratoris dissimulabat.

XXXI. Augustus, qui, ut Suetonius c. 27. ait, morum legumque regimen perpetuum re-

qui ei diceret: *Ego si prandere volo, domum eo.* Tu enim, inquit, non times, ne locum perdas.

XXXII. Quintilianus Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 65.

Finitione usus est Augustus de pantomimis duobus, qui alternis gestibus contendebant, cum eorum alterum *saltatorem* dixit, alterum *interpellatorem.*

XXXIII. Quintilianus Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 77.

Augustus nuntiantibus Tarraconensibus, palmam in ara ejus enatam, *Apparet,* inquit, *quam saepe accendatis.*

XXXIV. Quintilianus Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 79.

Eluditur et ridiculum ridiculo; ut divus Augustus, cum ei Galli torquem

---

ceperat, nonnunquam severiorem se gessit. Post ejus tempora cibi potusque in spectaculis sumi poterant, adeoque, ut Spaldingius ad h. l. monuit, cum per integros dies retinerentur homines in theatro, concessa est a Principibus certa summa singulis ordinibus, unde vinum emerent in theatro bibendum. Vide Intpp. ad Martialis Libr. I. Ep. 12. Perperam Burmannus putat, *locum* hic designari summum in republica et jaci hoc dictum in tyrannidem Augusti. Sed hunc jocum non ὕπουλον et amaruleutum esse, recte admonuit Spaldingius.

XXXII. Nomine *saltatoris* ipsum Pantomimum significari, in aprico est: v. Grysarius in Mus. Rhenan. 1833. p. 30. sqq. Alter cur dictus sit *interpellator*, ejus rei ratio me fugit, nec placet Spaldingii interpretatio dicentis, *interpellatorem* esse h. l. saltationis corruptorem et eversorem.

XXXIII. Augustus, dum vivebat, honores divinos respuebat, sed Romae tantum, minime in provinciis, eosque, ut Suetonius c. 52. refert, ne in his quidem recipiebat, nisi communi suo Romaeque nomine. Post ejus mortem demum in ipsa Urbe nihil deorum honoribus relictum est, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet, ut ait Tacitus Ann. Libr. I. c. 10. ibique v. Intpp. Neque tamen Augustus illa modestia, quam ipse Ed. Gibbonus in *Gesch. d. Verf. u. Unterg. d. R. Reichs* Cap. III. Tom. I. p. 143. cum laude agnoscit, impedire poterat quominus vivus adhuc θεοῖς σωτῆρσιν adnumeratus, aris privatim positis, ritu divino coleretur. Hinc Horatius Libr. II. Epist. 1. v. 15.: „*Praesenti tibi maturos largimur honores, Jurandasque tuum per nomen ponimus aras, Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes:*" ubi perquam erudite ac sobrie ea de re scripsit Th. Schmidius Tom. II. p. 18. sq. Adde Ph. Buttmannum in Mythol. Tom. I. p. 41. sqq. et C. Passovium in Vit. Q. Horatii Flacci p. CXV. N. 259. — De templis arisque Augusto per provincias exstructis nonnulla disseruit Casaubonus ad Monument. Ancyr. Tom. II. p. 379 sq. ed. W. Aram in Gallia Lugdunensem, ad quam sexaginta populos convenire solitos refert Strabo, imagine expressam repraesentavit A. L. Millin in *Galerie Mythol.* Tab. CLXXVIII. n. 664. — Tarraconenses, quibus a. U. C. 768. etiam datum est, ut Augusto Divo templum struerent, teste Tacito Ann. Libr. I. c. 78., enatam in ara Principis palmam tanquam faustum ostentum nunciabant; sed Augustus hunc eventum aliorsum trahendo elevat et Tarraconensium in sacrificando negligentiam carpit: id quod inurbanum fuisse censeo. Burmannus monet, hujus ipsius eventus testem numum produci ab Antonio Augustino in Antiquitt. Antwerp. 1653. F. p. 13. ejusdemque numi effigiem inveniri ap. Valentem Numism. aerea impp. Paris. 1698. F. p. 45., adnotat Spaldingius.

XXXIV. Militari vocabulo *imperatorem* appellabat, a quo vult *torque* donari Dolabella,

aureum centum pondo dedissent, et Dolabella per jocum, tentans tamen joci sui eventum, dixisset, Imperator, torque me dona; *Malo,* inquit, *te civica donare.*

XXXV. Quintilianus Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 95.

Interim de se dicere ridiculum est: et, quod in alium si absentem diceretur, urbanum non erat, quoniam ipsi palam exprobratur, movet risum: quale Augusti est, cum ab eo miles nescio quid improbe peteret, veniret contra Marcianus, quem suspicabatur et ipsum aliquid injuste rogaturum: *Non magis,* inquit, *faciam, commilito, quae petis, quam quod Marcianus a me petiturus est.*

XXXVI. Tacitus Annal. Libr. IV. c. 34.

T. Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut *Pompejanum* eum Augustus appellaret: neque id amicitiae eorum offecit.

XXXVII. Polyaenus Strateg. Libr. VIII. c. 24. p. 754. Maasv.

1. *Σεβαστὸς τοὺς ἐν ταῖς μάχαις καθυφιεμένους οὐκ ἀνῄρει πάντας, ἀλλ᾽ ἐδεκάτευεν.*

2. *Σεβαστὸς τοῖς διὰ δειλίαν ἀπολειπομένοις κριθὰς ἀντὶ πυρῶν ἐκέλευε μετρεῖσθαι.*

3. *Σεβαστὸς τοὺς ἐπὶ στρατοπέδου διαμαρτόντας ἐκέλευσε πρὸ τοῦ στρατηγείου λυσιζώνους ἑστάναι· ἔστι δὲ ὅτε καὶ πλινθοφορεῖν δι᾽ ὅλης ἡμέρας.*

---

quippe noto fortitudinis praemio ab imperatoribus tribui solito post proelium, ut monet Spaldingius. Jocus autem, cujus eventum tentabat Dolabella, inest in eo, quod torquem universe nominat, cum velit intelligi hunc torquem, quem modo Galli attulerant. Corona *civica,* caeteris honore praecellens et dari solita ei, qui civem in proelio servasset, exigui fuit pretii, quippe facta ex frondibus quernis ilignisve: v. Paschalius de Coronis Libr. VII. c. 2. et 11. Jam comparatis eis, quae a Suetonio in Aug. c. 25. relata legimus, mihi quidem videtur Augusti responsum huc redire: Malo tibi tribuere id, quod, si materiam spectas, vilissimum est, si honorem ei habitum, gloriosissimum. Sic aut fallor, aut plus acuminis accedit illi responso, quo simul perstringitur Dolabellae istius ignavia et arrogantia.

XXXV. Burmannus ad h. l.: „Memoratur *Granius Martianus* Senator sub Tiberio apud Tacit. Annal. Libr. VI. c. 38. Sed illum senem fuisse oportuit, quia hic Augustus militem *commilitonis* titulo ornat, quod eum fecisse post bella civilia negat Suetonius c. 25., nisi hic in communi sermone praeter solitum blandum Augustum dicamus, cum Suetonius abstinuisse hoc vocabulo in concionibus et edictis scribat.“ Equidem hoc dictum tribuerim Augusto Triumviro, quippe quod minime prodat animum civilem et, ut Burmannus ait, praeter solitum blandum! Neque potest hic intelligi Senator ille, *Granius Marcianus,* ut hoc nomen recte typis exscripsit Bekkerus. Eam scripturam confirmant Codices Quintil. et Suetonii in Galb. c. 14. ibiq. v. Oudendorpius. Locutionem *contra venire* explicavit Handius in Tursellin. Tom. II. pag. 113. 4.

XXXVI. Hujus quoque dicti vis et natura aestimanda est ex temporum ratione et rerum publicarum conversione, ut fecit G. Bernhardy in *Grundriss d. Röm. Litterat.* p. 99. N. 175.

XXXVII. 1. et 2. illustrant ea, quae de disciplina militari, quam severissime rexerit, memoriae prodidit Suetonius c. 24. Eo nomine Augustum praeclare meritum esse, negari nequit.

3. Verissime Casaubonus pro vulg. *πρὸ τοῦ στρατηγοῦ* correxit *πρὸ τοῦ στρατηγείου* h. e. *ante praetorium.* Suetonius c. 24.: „Pro caetero delictorum genere variis ignominiis affecit,

4. Σεβαστὸς τοῖς ἑαυτοῦ στρατηγοῖς παρήγγειλεν, ἀσφαλείας πεφροντικέναι μάλιστα, καὶ συνεχῶς ἐπέλεγε τὸ, Σπεῦδε βραδέως, καὶ τὸ, Ἀσφαλὴς γάρ ἐστ' ἀμείνων, ἢ θρασὺς στρατηλάτης.

5. Σεβαστὸς τοῖς ἀνδραγαθοῦσιν ἀργυρίου καὶ χρυσίου μεγάλας ἐδίδου δωρεάς.

6. Σεβαστὸς τοὺς ἄνευ λυσιτελείας ῥιψοκινδύνους ἔλεγε μηδὲν διαφέρειν τῶν χρυσοῖς ἀγκίστροις ἁλιευομένων.

7. Σεβαστὸς ἐν τῷ πρὸς Κάσιον καὶ Βροῦτον πολέμῳ περαιοῦσθαι τὸν Ἀδρίαν ἐβούλετο. Μοῦρκος ναύαρχος τῶν πολεμίων ἐφορμῶν ἐν τῇ νησίδι τῇ κατὰ Βρεντήσιον κωλύσων δῆλος ἦν. Ὁ Σεβαστὸς ἐξαπατᾷ τὸν Μοῦρκον, ὡς μέλλων πρὸς αὐτὸν ναυμαχεῖν· καὶ τὰς μὲν τριήρεις ἐν δεξιᾷ τοῦ Ἀδρίου παρὰ τὴν Ἰταλίαν ἔταξε πλεῖν, ὡς τῇ νησίδι ἐπιπλευσομένας. αὐτὸς δὲ φορτίδας πύργων ἐπλήρου καὶ μηχανημάτων. Μοῦρκος δὲ ἐξαπατηθεὶς τῇ παρασκευῇ τῆς ναυμαχίας, ἐς τὸ πέλαγος ἀνεχώρησεν, ὡς ἐν εὐρυτέρῳ μᾶλλον ἢ στενῷ ναυμαχήσων. Ὁ δὲ Σεβαστὸς οὐ συνῆψε μάχην, ἀλλὰ ἐν τῇ νησίδι καθωρμίσατο. Μούρκου δὲ ἄλλον ὅρμον οὐκ ἔχοντος, ἀλλὰ βιασθέντος ὑπὸ τῶν πνευμάτων ἐς τὴν Θεσπρωτίδα περαιοῦσθαι. ὁ Σεβαστὸς τὸν Ἀδρίαν ἀκινδύνως διαπλεύσας, τῇ Μακεδονίᾳ προσέσχεν.

XXXVIII. Macrobius Saturn. Libr. II. c. 4.

Soleo in Augusto magis mirari quos pertulit jocos, quam ipse quos protulit, quia major est patientiae, quam facundiae laus; maxime, cum aequanimiter aliqua etiam jocis mordaciora pertulerit.

---

ut stare per totum diem juberet ante praetorium, interdum tunicatos discinctosque, nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes:" ad q. l. singula copiose illustrarunt Casaubonus et BCrusius.

4. Conferantur ea, quae scripsi supra ad N. XVI. Apud Polyaenum pro στρατηλάτης olim leg. στρατιώτης, quod vitium jam Casaubonus emaculavit. Caeterum ἀσφαλὴς h. l. significat *cautum*, cui opponitur *audens*. Apte contulit Casaubonus de Julio Caesare ap. Sueton. c. 58.: „In obeundis expeditionibus dubium, cautior an audentior." Tacitus de Suetonio Paulino Hist. Libr. II. c. 25.: „Cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent — satis cito incipi victoriam ratus, ubi provisum foret, ne vincerentur." Ammianus Marcell. Libr. XVI. c. 2. §. 11. de Juliano, qui „erat providus et cunctator: quod praecipuum bonum in magnis ductoribus opem ferre solet exercitibus et salutem." Adde de v. ἀσφαλὴς Heindorfii Adnot. ad Platonis Sophist. §. 35. p. 323. Sic Latini nonnunquam *tutus* pro *cautus* dicunt: v. Bentlej. ad Horat. Libr. II. Sat. 1. v. 55.

5. Suetonius c. 25.: „Dona militaria, aliquanto facilius phaleras et torques, et quidquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales coronas, quae honore praecellerent, dabat."

6. Eadem leguntur apud Suetonium c. 25., quae attuli supra N. XVI.

7. Nomen vulg. *Μούκιος*, quod hic quater legitur, fidenter correxi ex certissima emendatione P. Wesselingii in Observatt. Var. Libr. I. c. 12. p. 42. Intelligendus est *L. Statius Murcus*, de quo fusius exposui in Comment. *de Cassio Parmensi* §. 12. N. 33. p. 246. sq.

XXXVIII. Eumdem Augusti animum civilem jocorumque patientem praedicavit Tiberius privignus in vitrici laudatione, si fides est Dioni Cass. Libr. LVI. c. 41. At idem ille, qui avunculi magni (v. Sueton. c. 73.) mentem erectam excelsamque, quoad e re sua esset, prae se ferebat, primus tamen, ut Tacitus Ann. Libr. I. c. 72. ait, cognitionem de famosis libellis,

1. Cujusdam provincialis jocus asper innotuit. Intraverat Romam simillimus Caesari et in se omnium ora converterat. Augustus perduci ad se hominem jussit; visumque hoc modo interrogavit: „*Dic mihi, adolescens, fuit aliquando mater tua Romae?*" negavit ille; nec contentus adjecit: „*Sed pater meus saepe.*"

2. Curtius eques Romanus deliciis diffluens, cum macrum turdum sumsisset in convivio Caesaris, interrogavit, an mittere liceret. Responderat princeps, „*Quidni liceat?*" ille per fenestram statim misit.

3. Aes alienum Augustus cujusdam senatoris cari sibi non rogatus exsolverat, numerato quadragies. At ille pro gratiarum actione hoc solum ei scripsit: „*Mihi nihil?*"

4. Solebat Licinius libertus ejus inchoanti opera patrono magnas pecunias conferre: quem morem secutus, centum promisit per libellum, in quo virgulae superductae pars ultra pecuniae defectionem protendebatur, vacante infra loco. Caesar occasione usus, priori alterum centies sua manu junxit, spatio diligenter expleto, et affectata literae similitudine: geminatamque accepit summam, dissimulante liberto. Qui postea coepto alio opere, leniter factum suum Caesari objecit, libello tali dato: „*Confero tibi, domine, ad novi operis impensam, quod videbitur.*"

5. Mira etiam censoris Augusti et laudata patientia. Corripiebatur eques Romanus a principe, tanquam minuisset facultates suas; at ille se multiplicasse coram probavit. Mox idem subjecit, quod ad contrahendum matrimonium legibus non paruisset; ille uxorem sibi et tres esse liberos dixit: tunc adjecit: „*Posthac, Caesar, cum de honestis hominibus inquiris, honestis mandato.*"

6. Etiam militis non libertatem tantum, sed et temeritatem tulit. In quadam villa inquietas noctes agebat, rumpente somnum ejus crebro noctuae cantu. Prendendam curavit noctuam. Miles aucupii peritus, et spe ingentis praemii, pertulit. Laudato imperator mille nummos dari jussit. Ille ausus est dicere, „*Malo vivat:*" avemque dimisit. Quis non miratus est, non offenso Caesare abiisse militem contumacem?

---

specie legis majestatis, tractavit, et, ut testatur Suetonius c. 55. jocis quoque quorundam invidiosis et petulantibus lacessitus edicto contradixit. Quodsi testamentorum licentiam, de qua Lipsius ad Taciti Ann. Libr. VI. c. 38., inhiberi vetuit, non multum laudis inde ad eum redit. Ac plerique, quos Macrobius deinceps profert, aliorum joci sunt ejusmodi, ut non magnopere possent ejus animum laedere et superbiam iracundiamque exasperare.

4. De *Licinio* sive *Licino* liberto, gratioso admodum apud Augustum ac potente, copiosius exposui in Excurs. VI.

7. Veteranus, cum die sibi dicto periclitaretur, accessit in publico ad Caesarem, rogavitque, ut sibi adesset. Ille advocatum, quem ex comitatu suo elegerat, sine mora dedit; commendavitque ei litigatorem. Exclamavit ingenti voce veteranus: „*At non ego, Caesar, periclitante te Actiaco bello, vicarium quaesivi, sed pro te ipse pugnavi;* detexitque impressas cicatrices. Erubuit Caesar, venitque in advocationem, ut qui vereretur, non superbus tantum, sed etiam ingratus videri.

8. Delectatus inter coenam erat symphoniacis Toranii Flacci mangonis atque eos frumento donaverat, cum in alia acroamata fuisset nummis liberalis: eosdemque postea Toranius aeque inter coenam quaerenti Caesari sic excusavit: „*Ad molas sunt.*“

9. Sublimis Actiaca victoria revertebatur: occurrit ei inter gratulantes corvum tenens, quem instituerat haec dicere, „*Have, Caesar, Victor, Imperator.*“ Miratus Caesar officiosam avem, viginti millibus nummorum emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate pervenerat, affirmavit Caesari, habere illum et alium corvum; quem ut afferre cogeretur, rogavit. Allatus verba, quae didicerat, expressit: „*Have, Victor, Imperator, Antoni*“. Nihil exasperatus satis duxit, jubere illum dividere donativum cum contubernali. Salutatus similiter a psittaco, emi eum jussit; idem miratus in pica, hanc quoque redemit. Exemplum sutorem pauperem sollicitavit, ut corvum institueret ad parem salutationem: qui impendio exhaustus saepe ad avem non respondentem dicere solebat: „*Opera et impensa periit.*“ Aliquando tamen corvus coepit dicere dictatam salutationem. Hac audita dum transit Augustus, respondit: „*Satis domi salutatorum talium*

---

7. Eamdem rem narrat Dio Cass. Libr. LV. c. 4.: *οὕτω — δημοκρατικὸς ἠξίου εἶναι, ὥστε τινὸς τῶν συστρατευσαμένων ποτὲ αὐτῷ συνηγορήματος παρ᾽ αὐτοῦ δεηθέντος, τὸ μὲν πρῶτον τῶν φίλων τινὰ, ὡς καὶ ἐν ἀσχολίᾳ ὤν, συνειπεῖν αὐτῷ κελεῦσαι, ἔπειτ᾽ ἐπειδὴ ἐκεῖνος ὀργισθεὶς ἔφη, „ἐγὼ μέντοι ὁσάκις ἐπικουρίας χρείαν ἔσχες, οὐκ ἄλλον τινὰ ἀντ᾽ ἐμαυτοῦ σοι ἔπεμψα, ἀλλ᾽ αὐτὸς πανταχοῦ προεκινδύνευσά σου·“ ἔς τε τὸ δικαστήριον ἐσελθεῖν καὶ συνηγορῆσαί οἱ.* Atque dubitari non potest quin huc referendus sit locus Suetonii c. 56.: „Affuit et clientibus: sicut Scutario cuidam, evocato quondam suo, qui postulabatur injuriarum:“ unde discimus, veteranum illum nominatum fuisse *Scutarium.*

8. *Toranius* mango commemoratur etiam a Suetonio c. 69., Plinio N. H. Libr. VII. c. 12. et Solino c. 5. Hoc nomen vitiose apud illos scriptores exaratum editumque olim legebatur *Thoranius* et *Toronius.* Idem nomen, licet non idem homo, occurrit ap. Ciceron. ad Divers. Libr. VI. Ep. 20. et ap. Sueton. Aug. c. 27. — *Acroamata* h. l. de hominibus dici, ut ap. Suet. Aug. c. 74., apertum est; de rebus quoque accipiendum esse h. vocabulum ap. Ciceron. pro Arch. P. c. 9. et ap. Nepot. in Attic. c. 14. contendit Freundius in Lexic. L. L. p. 49. sq. Cf. Ernestii et Wolfii Excurs. VIII. ad Sueton. Tom. II. p. 319. sqq. — *Ad molas sunt* sc. frumentarias. Acumen dicti in eo est, quod Augustus pueros symphoniacos frumento donaverat quasi molarum curatores: id quod Toranius fuerat indignatus. Pontanus confert absimilem, ut mihi quidem videtur, verborum lusum Ciceronis ad Attic. Libr. II. Epist. 1. §. 9.: „Favonius — dixit; ita ut Rhodi videretur molis potius, quam Moloni operam dedisse.“

habeo." Superfuit corvo memoria, ut et illa, quibus dominum querentem solebat audire, subtexeret: „*Opera et impensa periit.*" Ad quod Caesar risit, emique avem jussit, quanti nullam adhuc emerat.

10. Solebat descendenti a palatio Caesari honorificum aliquod epigramma porrigere Graeculus. Id cum frustra saepe fecisset, rursumque eum idem facturum vidisset Augustus, breve sua manu in charta exaravit Graecum epigramma: pergenti deinde ad se obviam misit. Ille legendo laudare; mirari tam voce, quam vultu. Cumque accessisset ad sellam; demissa in pauperem fundam manu, paucos denarios protulit, quos principi daret. Adjectus hic sermo: *Μὴ κατὰ τὴν τύχην σὴν, Σεβαστέ· εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν.* Secuto omnium risu, dispensatorem Caesar vocavit, et sestertia centum millia numerare Graeculo jussit.

XXXIX. Quintilianus Inst. Or. Libr. VI. c. 3. §. 74.

Defensionem imitatus est eques Romanus, qui objicienti Augusto, quod patrimonium comedisset, *Meum*, inquit, *putavi*.

XL. Suetonius in August. c. 54.

In senatu verba facienti dictum est, *Non intellexi:* et ab alio, *Contradicerem tibi, si locum haberem.* Interdum ob immodicas altercationes disceptantium e curia per iram se proripienti quidam ingesserunt, *Licere oportere Senatoribus de republica loqui.* Antistius Labeo, Senatus lectione, quum Triumvirum legeret M. Lepidum, hostem olim ejus, et tunc exsulantem, interrogatus ab eo, an essent alii digniores: „*Suum quemque judicium habere*" respondit. Nec ideo libertas aut contumacia fraudi cuiquam fuit.

---

10. Edidi: *breve sua manu — exaravit*, ut est in Aldin. aliisque editt. pro *brevi*: in quo interpretando mirifice allucinatus est Pontanus, jam ab Jac. Gronovio refutatus. Genuina si esset lectio *brevi*, explicanda foret *ἐν βραχεῖ*, *in Kurzem*, h. e. sine praevia meditatione. Sed praestat *breve*, quod referendum ad v. *epigramma*. Pro vulg. *sestertia centum millia* J. Fr. Gronovius de Pec. Vet. Libr. I. c. 4. legendum censet *sestertium mille* vel, si illud nimium sit, *sestertios centum*.

XL. Verum procul dubio vidit Casaubonus, qui in vv. „*si locum haberem*" reconditum aculeum reperit. Carpitur hoc dicto tyrannis Augusti, penes quem jam omnis potestas ita esset, ut alii civi nullus superesset locus. Sic haec accepit etiam Burmannus ad Quintiliani I. Or. Libr. VI. c. 3. p. 547. cf. supra ad N. XXXI. — *Licere loqui* esse formulam frequentatam in ejusmodi contentionibus, monet Casaubonus: v. Brissonius de Formul. Libr. II. 46. p. 156. B. Caeterum videmus hic Augustum libertatis impatientem suaeque irae impotentem! — De *Antistio Labeone* egi in *Lection. Venus.* Part. II. §. 4. p. 18. Eamdem rem copiosius narrat Dio Cass. Libr. LIV. c. 15. In constituendis Suetonii verbis malui BCrusium sequi quam Paldamum. De v. *an*, quod vulgo pro *annon* positum esse dicitur, vide Handium in Tursellin. Tom. I. p. 344. sq., qui apud Suetonium h. l. *an non* scribendum esse censet p. 349.

XLI. Dio Cassius Libr. LV. c. 7.

Δικάζοντί ποτε αὐτῷ προστὰς (ὁ Μαικήνας), καὶ ἰδὼν ὅτι πολλοὺς θανατώσειν μέλλοι, ἐπεχείρησε μὲν διώσασθαι τοὺς περιεστηκότας, καὶ ἐγγὺς οἱ προςελθεῖν· μὴ δυνηθεὶς δὲ, ἔγραψεν ἐς γραμματεῖον, „Ἀνάστηθι ἤδη ποτὲ, δήμιε," καὶ αὐτὸ ὡς καὶ ἕτερόν τι ἔχον, ἐς τὸν κόλπον αὐτοῦ ἔῤῥιψεν· ὥστ᾽ ἐκεῖνον μήτ᾽ ἀποκτεῖναί τινα καὶ εὐθὺς ἐξαναστῆναι.

XLII. Dio Cassius Libr. LIV. c. 23.

Κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ ἔτει Οὐήδιος Πωλίων ἀπέθανεν· ἀνὴρ ἄλλως μὲν οὐδὲν μνήμης ἄξιον παρασχόμενος, (καὶ γὰρ ἐξ ἀπελευθέρων ἐγεγόνει, καὶ ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἐξητάζετο, καὶ λαμπρὸν οὐδὲν εἰργάσατο) ἐπὶ δὲ δὴ τῷ πλούτῳ τῇ τε ὠμότητι ὀνομαστότατος γενόμενος, ὥστε καὶ ἐς ἱστορίας λόγον ἐσελθεῖν. οὗτος γὰρ τὰ μὲν ἄλλα ὅσα ἔπραττε, δι᾽ ὄχλου ἂν λεγόμενα γένοιτο· μυραίνας δὲ δεδιδαγμένας ἀνθρώπους ἐσθίειν ἐν δεξαμεναῖς τρέφων, τοὺς δούλους αὐταῖς οὓς ἐθανάτου παρέβαλλε. καί ποτε τὸν Αὔγουστον ἑστιῶν, εἶτ᾽ ἐπειδὴ ὁ οἰνοχόος κύλικα κρυσταλλίνην κατέαξεν, ἐς τὰς μυραίνας αὐτὸν, μηδὲ τὸν δαιτυμόνα αἰδεσθεὶς, ἐμβληθῆναι προςέταξεν. ὁ οὖν Αὔγουστος, προςπεσόντος οἱ τοῦ παιδὸς καὶ ἱκετεύσαντος αὐτὸν,

---

XLI. Eadem refert iisdem fere verbis usus Zonaras Tom. II. p. 166. et Cedrenus, quos laudat Meibomius in Maecenat. Cap. VII. 8. p. 52., quibus addatur Mich. Glycas Ann. P. II. p. 381. ed. Bekk., a quo, omissa Maecenatis mentione, in universum *σοφός τις* memoratur. Ipsum factum nemini dubium erit quin acciderit, cum Augustus Triumvir esset.

XLII. Fabricius ad h. l. per errorem lapsus primum confudit hunc *Vedium Pollionem* cum *Asinio Pollione*, deinde Vedii illius luxum ab Augusto reprehensum esse ait ap. Tacitum Ann. Libr. I. c. 10. Nihil contra monuit Sturzius N. 189. Vol. VI. p. 123. At ap. Tacitum l. c. afferuntur verba prudentum Augusti vitam arguentium haec: *Q. Tedii et Vedii Pollionis luxus:* quo in loco *Tedii* nomen in Mst. et Editt. monstrose corruptum est, ut ostendit Ruperti in Comment. ad h. l. Vol. I. p. 32. Quare alii totum illud deleverunt, alii aliud conjectura substituerunt. Apud Suetonium Aug. c. 27. memoratum quidem invenimus *Tedium Afrum* quemdam, consulem designatum; sed ibi in Codd. Mstis nominis hujus scriptura non magis certa est, quam ap. Juvenalem Sat. II. v. 49., ubi *Tedia* meretrix occurrit. Gentem *Tediam* prorsus incognitam esse, notam autem *Tadiam* gentem et in numis lapidibusque obviam, admonuit Oudendorpius ad Sueton. l. c. — In loci Tacitei corruptelis nomen proprium latere, mihi persuasum est; sed, cum neque *Tediorum* neque *Tadiorum* quisquam nobis innotuerit luxu famosus, quis tam divinus est, ut verum eruat nomen hominis, qui aequaverit insanam luxuriam *Vedii Pollionis?* Is enim, antea libertus, eques Romanus factus, suae aetatis evaserat ditissimus et luxuriosissimus. Mortem obiit a. U. C. 739. et Augustum, quocum familiariter junctus, reliquit heredem ex plurima parte, in qua etiam villa Pausilypum inter Neapolim et Puteolos cum piscina fuit: cujus villae et piscinae meminit Plinius N. H. Libr. IX. c. 53. Memoratam a Dione Cassio crudelitatem ejus in servos exagitat Seneca de Clement. c. 18. §. 2.: „Quis non Vedium Pollionem pejus oderat, quam servi sui, quod muraenas sanguine humano saginabat: et eos, qui se aliquid offenderant, in vivarium, quid aliud, quam serpentium, abjici jubebat? O hominem mille mortibus dignum! sive devorandos servos objiciebat muraenis, quas esurus erat, sive in hoc tantum illas alebat, ut sic aleret." Adde Plinium N. H. Libr. IX. c. 23.: „Invenit in hoc animali (muraena) documenta saevitiae Vedius Pollio Eques Romanus ex amicis Divi Augusti, vivariis earum immergens mancipia" etc. cl. Tertullian. de Pallio c. 5. p. 31. (L. B. 1656.) Laudat Augusti factum Seneca de Ira Libr. III. c. 40.: „Varie aggredieris, blandeque: nisi forte tanta persona eris, ut possis iram comminuere,

τὰ μὲν πρῶτα πείθειν τὸν Πωλίωνα ἐπειρᾶτο μηδὲν τοιοῦτον δρᾶσαι. ὡς δ' οὐχ ὑπήκουσεν αὐτῷ, „φέρε (ἔφη) πάντα τἄλλα ἐκπώματα, ὅσα ποτὲ τοιουτότροπα, ἢ καὶ ἕτερά τινα ἔντιμα κέκτησαι, ἵνα αὐτοῖς χρήσωμαι.“ καὶ αὐτὰ κομισθέντα συντριβῆναι ἐκέλευσεν. ἰδὼν δὲ τοῦτο ἐκεῖνος, ἄλλως μὲν ἤσχαλλεν, οὔτε δὲ τοῦ ἑνὸς ἔτι ποτηρίου πρὸς τὸ πλῆθος τῶν ἄλλων τῶν ἀπολωλότων ὀργὴν ἔχων, οὔτ' αὖ τὸν διάκονον ὧν γε καὶ ὁ Αὔγουστος ἐπεποιήκει τιμωρήσασθαι δυνάμενος, ἡσυχίαν καὶ ἄκων ἤγαγε.

XLIII. Dio Cassius Libr. LIV. c. 17.

Ὥστε εἰ καὶ πρὸς τὴν ἀκρίβειαν τῶν ἄλλων αὐτοῦ νομοθετημάτων ἤχθοντό τινες, ἀλλ' ὑπό τε τούτου καὶ ὅτι Πυλάδην τινὰ ὀρχηστὴν διὰ στάσιν ἐξεληλαμένον κατήγαγεν, οὐκέτ' ἐκείνων ἐμέμνηντο. ὅθεν περ πάνυ σοφῶς ὁ Πυλάδης, ἐπιτιμώμενος ὑπ' αὐτοῦ, ἐπεὶ Βαθύλλῳ ὁμοτέχνῳ τέ οἱ ὄντι, καὶ τῷ Μαικήνᾳ προσήκοντι, διεστασίαζεν, εἰπεῖν λέγεται ὅτι „συμφέρει σοι, Καῖσαρ, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀποδιατρίβεσθαι.“

XLIV. Macrobius Saturn. Libr. II. c. 7.

Sed quia semel ingressus sum scenam loquendo, nec Pylades histrio nobis omittendus est, qui clarus in opere suo fuit temporibus Augusti, et Hylam disci-

---

quemadmodum fecit divus Augustus, quum coenaret apud Vedium Pollionem. Fregerat unus ex servis ejus crystallinum; rapi eum Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte: muraenis objici jubebatur, quas ingentes in piscina continebat. Quis non hoc illum putaret luxuriae causa facere? saevitia erat. Evasit e manibus puer, et confugit ad Caesaris pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis Caesar, et illum quidem mitti, crystallina autem omnia coram se frangi jussit, complerique piscinam. Fuit Caesari sic castigandus amicus: bene usus est viribus suis.“ Rem ex vero si aestimamus, in aprico est, Augustum non tam humanitatis sensu adductum ita egisse, quam ut Pollioni isti suam ipsius potentiam ostenderet in eumque precibus non obsequentem animadverteret. Multo honestius ac Principe dignius, quod cum ille morti proximus jussisset, populo ut exstrueretur opus aliquod splendidum, Augustus ejus operis faciendi specie, re ipsa autem, ne quod illius in Urbe exstaret monumentum, vastam ejus magnificamque domum funditus evertit et porticum aedificavit non *Vedii*, sed *Liviae* nomine: cujus rei mentionem facit Ovidius Fast. Libr. VI. v. 639. sqq. cf. Sachsius in *Gesch. u. Beschr. d. alt. Stadt Rom.* P. II. p. 121. sq. — Inter templorum donaria invenitur haec Inscriptio: *P. Veidius P. F. Pollio Caesareum Imp. Caesari Augusto et Coloniai Beneventanai:* ap. Orellium C. V. §. 26. N. 2509.

XLIII. De *Pylade* et *Bathyllo*, saltationis pantomimicae apud Romanos auctoribus et principibus, videsis, quae post Zosimum Libr. I. c. 6., Suidam et Salmasium ad Vopisci Carinum c. 19. nuperrime scripsit Grysarius in Mus. Rhenan. II. 1. p. 73. sqq. — Maecenatis effusi in Bathylli amorem meminit Tacitus Ann. Libr. I. c. 54. ibiq. v. Lipsius. — Pyladem Urbe et Italia ab Augusto submotum esse, quod spectatorem, a quo exsibilabatur, monstrasset digito conspicuumque fecisset, narrat Suetonius c. 45. Spectator ille a Bathylli partibus erat: inde orta est *στάσις*, quam Dio memorat.

XLIV. Cum Macrobius ea, quae Dio Cassius de Bathyllo narrat, de Hyla, Pyladis aemulo, referat, fuerunt qui vel, ut Fabricius ad Dion. l. c. N. 152. Vol. VI. p. 118. Strz., putarent, Bathyllum binominem fuisse, vel Hylae nomen corruptum esse censerent, ut Nicolaus Loensis

pulum usque ad aequalitatis contentionem eruditione provexit. Populus deinde inter utriusque suffragia divisus est. — Idem cum propter populi seditionem pro contentione inter se Hylamque habita concitatam indignationem excepisset Augusti, respondit: *καὶ ἀχαριστεῖς, βασιλεῦ, ἔασον αὐτοὺς περὶ ἡμᾶς ἀσχολεῖσθαι.*

Miscell. Epiphyllid. IV. 9. Equidem neutri adstipulor sententiae, et minime dubito ipsi Macrobio imputare *ἁμάρτημα μνημονικόν.* Caeterum non absurdum est Pyladis dictum: utile esse, ut inquietis populi ingeniis materia ludicra contentionum objiciatur, in qua impetus deferveat, ne ad seria turbanda tempus et occasionem quaerant. Id etiam bene perspexit Augustus, ideoque pantomimis aliisque hujusmodi ludicris impensius favebat, civile ratus misceri vulgi voluptatibus, ut ait Tacitus Ann. Libr. I. c. 54.

Angusti, quibus hujusmodi libelli scholastici circumscripti sunt, fines cum non capiant Excursuum, quos supra Not. 28. *commemoravi, amplitudinem, curabo, ut quam primum alio loco promissis satis faciam bonumque nomen existimer.*